CHRISTOPHORI VARSEVICII C. C.

PARADOXA.

Quibus de origine generis, & nominis Poloni adiunctus est Dialogus.





ROMAE,
Apud Aloysium Zannettum.
Superiorum permissu. 1601.

Imprimatur
Si placet R.P. Magistro Sacri Palatij.
B. Gypsius pro Vicesg.

Imprimatur
F. Angelus Baronius Venetus Mag. et R. P. M. Sacri Palatij socius Ordinis Prædic.



PETRO
ALDOBRANDINO.
S. R. E. CARD.
AMPLISSIMO

Christof. Varseuicius C. C. fœlicitatem sempiternam.


Rodeunt, Amplissime Cardinalis, sub tuo nomine quantulacumq. Paradoxa mea, rebus, & temporibus, meritisque tuis accommodata. Is enim procul dubio es, qui Christianis reconciliandis regibus nauata opera maximoperè clares, & ea autoritate polles, quæ potest & debet esse in Vrbe & orbe maxima, merito tuo singu-

lari. Et vero Pont. Max. arcto ſanguinis vinculo coniunctus es illi, cui non modò ab ordinibus, verum etiam ab hominibus om nibus omnis debetur gratia, nominiſq. gloria ſempiterna, cuius, quoad per incertos valetudinis exitus magis licuerit, beneficijs vti velimus & ſciamus, ne ſi ingrati fuerimus, fontem ipſum Diuinæ benignitatis erga nos exſiccemus. Dat Deus Opt. M. cunctis cuncta gratis; ſed eadē illa vno eodemq. momento aufert ab ingratis. Deberent quidem ij, qui otioſis ſyllogiſmis infeſtarunt tādiu religionem, armis incipere contra Turcam ſuam ſerio tueri regionem: hoc Pontifice maximè Duce & auſpice

auſpice, qui vt cæteris præeſt, ita & præit, & ſe, ſuoſq. omnes uel inimicorũ vſibus, & neceſsitatibus liberaliſsimè impẽdit. Quibus melius eſſet ſub paſtorali, vt vocant, eſſe Papæ, quã ſub acinacẽ redigi Turcæ; quod leues illi & temerarij Græci, numquã libertate vtẽtes ſerio, ſerui nũc tãdẽ facti, ſerò ſecũ ipſi recognoſcunt. Caſtigat omnem impietatem, hæreſimq. Deus Opt. M. regnaq. & imperia ob rebellionem patitur ſuſtinere vaſtitatẽ. Vtinam ſaltem hi (ſi Deo placet) nomine, quàm re ipſa Chriſtiáni magis, id aliquando in ſe ipſi non experiantur, & dũ pro cœlo inter ſe pugnant, terram per Turcas non amittant,

ſic quidem, quod aiunt, vrgēt fata, fatuave habent potius con ſilia; vt timeam valde, ne vel opinione celerius euertantur. Nō enim diffundendo, ſed defendēdo Chriſtiano ſanguine, ſarta teċtaq; Reſpub. conſeruatur. Quo magis hæc mecum conſiderās, olim iſta exaraui, & nuncupaui Paradoxa. Nam vel hoc ipſo quod nec mala, nec malorū noſtrorum remedia perſpicimus, & conſcientiarum neſcio quam expetimus libertatem, in Turcicā, proh dolor, præcipitamur ſeruitutem; qui viuentibus, videntibuſque nobis quotidie vicinior fit; & animus nouatorū, non religione, ſed rebellione in Deum, & Magiſtratum magis vi

leſcit

lescit. Iam certè Hungarorum reliquiæ, qui & ipsi Græcorum morbo laborarunt, in eas angustias rediguntur, vt cum à ducentis & amplius annis, ex quo Catholici fuerant, regnum suũ contra Turcas fortiter defendissent, demum hæretici facti, diuiso senatu, distracto populo, patriæ suæ accelerauerunt laniatum. Sectis enim in se dissectis, regna imperiaq. dissecantur. Canisia postremò capta, nõ defensionem amplius Hungariæ, sed vicinis excidium ominatur. Ac horret referre animus, quod ante multos annos Antonius Verantius, Strigoniensis Archiepiscopus, regni Hungarici primus fortè prædixerat: si amit-

temus, inquit, Caniſiam, amittemus & camiſiam, nec ſcio, ſi temere. Dubitandum quippe eſt, ne, Caniſia capta, in Auſtriam, Styriam, Carinthiam, ipſumq. adeo Forum Iulij aditũ Turca habeat patefactum. Cedere enim hoſti ſolo, eſt ipſum augere viribus, & animo, qui cupiditate ardet perpetua imperij proferendi Expedit Chriſtianorum omnium animos, vireſq. vnire, & in barbaros arma induere, ſuis ſociorumq. regnis, & prouincijs defendendis. Quod Pontificem Maximum pro ſua pietate nauiter conſtat feciſſe, & pro virili tua parte, te, tuiq. ſimiles in eo quoque laboraſſe, vt ferrum & flammã cùm ab alijs,

pro-

prouincijs, tum maxime à regina prouinciarum Italia auertisses. Nihil Pont. Max. auctoritas habet augustius, quàm quod potest; nihil consuetudo benignitatis diuinius, quàm, quod solet, per idoneos legatos orbis quietem incolumitatemque præstare. Quod cum assecutus fueris, equidem nõ modò tibi, sed & Reipublicæ toto animo gratulor, & quod euentus consilijs conatibusq. tuis mirum in modum responderit, perpetuò gloriosum futurum tibi illud agnosco, & confiteor. Impendent quidem vndequaq. pericula à Turcis maxima. Ac vel imprimis illud obseruatum est, Ottomãnici nominis, & se-

minis reges (si reges, & non tyrannos potius dixeris) in omniũ ferè cẽtenariorum principijs magnos progressus fecisse, &, decrescentibus annorum centenarijs, eorum conatus & fœlicitatẽ decrescere rursus consueuisse. Ad motum enim lunæ, quam illi dimidiatam in insignibus ferunt, eorum victoriæ minui, & augeri consueuerunt. Nam vt Mahometem sectæ taceam autorem, qui mille ab hinc annis caput extulit, ab hinc trecentis Ottomannus sub ipso centenario an non etiam creuit, quo Rudolphus I. Austriacus factus est Imperator? Vtinam tandem sub hoc altero Rudolpho Ottomannicum imperium finiatur. Cer-

tum

tum quidem ex multis multorum Ottomãnicorum exemplis id, quod asseruimus, euidenter potest monstrari. Quid enim? An Amurates, qui à quodam Miloscho interfectus fuit, contra Mysios &Bulgaros ante ducentos annos non fœlicissimè depugnauit? An Baiazettes, qui à Temirlano postea est captus, ex Sigismundo Cæsare, eodemque Hungariæ &Bohemiæ rege ad Nicopolim & Columbarium victoriam non retulit? An Amurates eius filius ante dimidium centenarium Vladislaum Polonum ad Varnam nõ occidit? An Mahometes nepos, statim post dimidium, Constantinopolim non cœpit? An ab-

nepos Selimus Soldani imperiũ in proximi centenarij principio non euertit? An Solimãnus Selimi filius, eodem, quo & Carolus V. Cæsar anno natus, & Imperator factus, Rhodum & Taurinum non expugnauit? Videamus vero, quam paulò post, sub centenariorum finem, Ottomanici omnes, aut mortui sunt, aut certè non tantum quantum antea fœlicitatis habuerunt. Nam & Amurates, qui Vladislaum occiderat, vergente iam ad finẽ centenario, gubernaculis vltrò se abdicauit, & eius filius Mahometes, qui duobus imperijs, & duodecim regnis fuerat potitus, Hydrunto capto, ad Vrbis & Orbis aspirans imperium, in

ipso

ipſo centenario impuram animam exhalauit: & Selymus paulo poſt obijt, & denique Solimãnus in Segetti oppugnatione vitam cum morte commutauit. Quæ omnia cum conſidero, nõ poſſum non timere, ne & hoc centenarij principio rerum, & temporum maneat nos aliqua conuerſio, niſi diuinitus prouiſum, & Pont. Max. paterna cura & autoritate, his tãtis Chriſtianorũ diſsidijs, opportunum remedium non fuerit adinuentum. Quod vt optem, ſperemq. fore, multis quidem rationibus, & tum Pontificis patrui tui, cuius à centenario ſexcenteſimo ſex vnam ſtellam Turcicam vincent, & aureis raſtris aſtris

imperium terminabit tum tuas ipsius adducor fœlicitate. Cui si Sabaudiæ Ducem, aut potius duos potētißimos Europæ, Franciæ, & Hispaniæ reconciliare reges tandem factu non ita fuerit difficile, quid sit incredibile bellum in Turcam sociale, tali tantoque Pontifice, atque etiā ipso te auctore? Nunquam vnum absque altero diuinitus beneficium datur, & in gratos fœlicitas fœlicitate cumulatur. Tentatum idipsum est diu, vni illi patruo tuo Clementi VIII. Pont. Max. palma est reseruata hic, & in Cœlo stellis insigniendo. Qui cum Cracouiā veniens sereno cœlo, & meridie stellam in cœlo spectandam

effe-

effecerit, Cardinalis, qui nunc Pontifex in Turcam non vniat omnes, concordesq. efficiat Reges per te, tuiq; similes, qui vis, scis, & potes nauare egregiã operã Reipublicæ?Bellũ ciuile inciuile à ceruicibus Italiæ, quod per te auersum est, vehementer laudo, sed, vt pedem hic nondum figas, requiro, requiritque virtutis tuæ, quæ summa est, expectatio, & ipsa Dei Opt. Max. religio, & victoriæ, quæ ex Turca pareretur, magnitudo. Sed finem epistolæ facio, vnum illud præfatus: hæc Paradoxa ideo sub tuo me edidisse nomine, quod iuuandæ Reipub. quam tu imprimis foues, maximè videntur mihi expedire, vt tandem ali-

quan-

quando perpetua in Turcas militiæ officina, & non amplius ſpes vanæ, ac Principum deliberationes incertæ; ſed ipſa rerum & ſubſidiorum belli cõſtet perpetuo firmitudo. Quam hactenus facilius fuit optaſſe, quam ſperaſſe, & in quo non multum, ſed poſita ſunt omnia, & exercitari deberent ſcriptorum ingenia, vt, cum Chriſto quæritur honos, honori etiam ipſi vbique præſtãdo conſpicuus locus, minime vt Byſantij, & alibi lucus relinquatur, rabie (vt fit) prædominante barbarorum. Nefas enim eſt, ea loca, quæ ſanguine Chriſti sũt reſperſa, diſperſa et oppreſſa à barbaris intueri. Ac vetus eſt verbum, eum qui augeret ſu-

ſpi-

ſpitionem, cautionem pariter augere conſueuiſſe. Quod tanto magis futurum ſpero, quanto Turcam diſcordia, ſocordiaque noſtra non ab imis ad media, ſed penè iam ad ſumma videmus perueniſſe. Semper difficilius ab imo fuit ſe attollere, quàm media conſecutum in faſtigio ſua omnia collocare, quamquam etiam à ſummo ad ima quidam delapſi ſunt, & ſe, ſuoſque perdiderunt. Quod Ottomanis inquã vtinam eueniat, & parricidialis hæc familia, aut mole ſua ruat, aut hoc Pontifice duce & auſpice, tandẽ aliquando euertatur. A me vt hæc animo exarantur candido, ſic, quod ſpero, ab omnibus ac-

ci-

cipientur grato, & consilio discutientur graui & maturo, et facto executioni mandabuntur celeri, & tempestiuo. Nihil quidē est peius, quam inanis confidentia sui, & hostium contemptio, occasionumq. (quas si oblatas amiseris, amissas serò recuperaueris) expectatio. Sed ego dum omnia mecum ipse perpendo, in spem certam venio fore, vt sicuti hunc Pontificatum tui patrui augustum Deus Opt. Maximus mirandis rebus & victorijs auxit, ita adhuc etiam magis florentem, & beatum eius sanctitate, & perspicaci prudentia, tua vero opera & industria reddat: vt quemadmodū in hac tractā-

da pa-

da pace virtutis, quàm ætatis tuę cursum vidimus celeriorem: ita & in Turcam concludendo sociali fœdere, vigilantiæ, prudentiæq; tuæ laudē celebremus clariorem. Quod reliquum est, me, meaque omnia demissè & reuerenter tibi commendo. Romæ. Kal. Aprilis M. D. CI.


Amplitudinis tuæ Illustr. ac Reuerend.

perpetuus seruus.

Chrisł. Varseuicius. C C.

PROB

PRAEFATIO.



Vi omnia omnium rerum, temporumq. momenta, ad certam regulam dirigũt rationis, numerãdas quã ponderandas sententias potius arbitrantur: neque id iniuria. Nam non idem ille, qui ludendis talis, examinandis modus est sententijs; vt quo puncta plura iacias ære, eò in tuã sententiam pluribus euntibus, victoria etiãpotiare. In limanda namque disputando veritate acrius, res rebus, & argumenta argumentis collata magis elucent. Ac quantum profectò rectè sentientibus sit auctoritatis, cùm alia multa, tùm vel illud de humani corporis discordia, commentum testificatur. Cum enim omnia membra, tenebricosũm solem dicerent, & oculi tantum soli contrarium affirmarent, ad rationem, tanquam ad supremam iudicem fuerat prouocatum; qua cum pro oculis pronuntiauisset, & om-

nia

nia reliqua membra indignè id ferrent, iussa sunt inter lucem, & tenebras declarare discrimen. Quod quoniam sine oculorum subsidio, præstare minus poterant, auxilio sibi eos sumpserunt, & rationi iudici necessariò subscripserũt. Quod vel in alijs quoque rebus videas, & semper ferculis bonis, quàm aut aridis, aut nimium sale conditis, aut denique voluptati, quam conducibilioribus vtaris libentius sanitati. Dicendis etiam sententijs numerum, quam pondus, vt mea opinio fert, potius obseruabis. Equidem vt claudicent multi, nunquam inuitus claudicauero, nec sentiã, quod multitudo. Ac verbis quidem, vt nummis; consilijs à vulgo haud inuitus vtamur disgregatis: cum vt nauigij cursus ex tempestate, sic opinionum pro inclinatione temporum, & ratione concordiæ perpetuò sit dirigendus. Etenim propter nomen constantiæ, aut aliquorum debilem intellectum, nolle mutare animi sensum, non modo arrogantis, verum etiam fuerit dissoluti. Quò magis & ego hæc aliquando scripsi,

si, & scripta appellaui Paradoxa, quæ si non sunt, saltem quidem ij, qui contrarium faciunt, ea esse volunt, perpetua conspiratione, consuetudineq. delinquendi. Non tam certè nomen curare, quam planum debemus facere, rem in orbe, orbis instar duci & esse nefaria plura, quam quæ videntur, & fœdiora. Meum interim disquirendæ veritatis studium, si non omnibus, probaturum quidem spero me sanioribus, ac ijs vel potissimum, quibus non prius iudicare, quam legere, non damnare quam ponderare, moris & oris haud est impudentis. Quantò enim quisque continentius viuit, tantò à libertate loquendi, & de alijs iudiciũ ferendi magis se seiũgit. Sed vt velit, negligat sua, carpat quis aliena, apud me recti valebit plus ratio, quam vulgi opinio; qui, sicuti Nili accolæ, ob immensum, vbi ex altissimis mõtibus se præcipitat, sonitum, sensu audiendi carent, destituitur et ipse omni gustu & amore honestatis. Facilius quippe in ore, quàm in pectore gerere est bonitatem; cuius tamen qui

omnino

omnino expertes non fuerint, suas, suorumq. facultates, communis in Turcã præsidij instrumenta, quàm prædam, auaritiæ aut gulæ potius esse patientur, Nunquam bella bella, & ciuilia inciuilia statuent; & nec sero, nec nisi curabunt serio, ne spe incerta Turcicæ pacis pactio certa sit seruitutis; & quod deniq. libertas vera perit immoderata; & æqualitate inæqualius nihil; regiãq. viam inuiam nemini; & honorũ ac gloriæ ambitionem sui esse obliuionem. Sed ad rem ipsam iam accedamus.

CHRIST. VARSEVICII

C. C.

PARADOXA

CHRISTIANORVM

DE CHRISTIANIS PARTA

CADIT VICTORIA VICTA.



NTER res eas, quæ per se cuique calamitosæ, & Reipub. exitiales sunt & funestæ; nihil ciuili inciuilius bello fuerit: quod aut vindictæ priuatæ cupiditate, aut lubrica & præcipiti ambitione, aut alio quouis modo, vel rebellione excitatur. Nam siue turpidinem rei quis videat, siue periculi magnitudinem cõsideret, siue prælij ferocitatem animo secum ipse cõtempletur, oĩa bellis ciuilibus sunt funesta; sed victoria in bello est funestissima, quantumuis licet boni & moderati ciues ipsa potiantur.

tiantur. Omnes enim ferè ſecundis rebus inſolentes ſumus, ſed maximè cũ acie aduerſarios ſuperauerimus. Quò magis cũ omnia bella bella nunquam tũ minime fuerint inteſtina,& cùm alijs, tùm nobis Chriſtianis potiſsimum fugienda, qui in Chriſto ſummo noſtro magiſtro nulla nõ habemus exempla patientiæ, & lenitatis;ſub cuius abiecto olim capite nos indigna membra turpiſsimum eſt ſuperbire, præſertim cum Chriſtianorum res eò iam redactæ ſint, vt non niſi in vna illa omnis ſalutis ſpes poſita ſit concordia,cui contrarijs artibus,& partibus ad interitum properamus. Quis enim dubitauerit,quantorum malorum fons, & origo,Chriſtianorum diſſenſiones fuerint,& quã à modicis & obſcuris principijs ad tantam amplitudinem & maieſtatẽ, gens Turcica peruenerit? Nã vt Mahometem illum impij dogmatis auctorem primum taceam; Ottomannus a quo iſta parricidialis familia ortum trahit, quis & quàm obſcurus

fue-

fuerit,quis ignorat? Etenim(vt ita loquar)cũ nec locum,neq;focũ,neq;deniq;patrẽ habuisset certũ; discordia, & negligentia nostra eos progressus fecit, qui potuerunt esse maximi,vicinis regnis,& prouincijs occupãdis. Ardebant tùm bello Gallorum & Anglorum regna inter Philippum Francorum,& Edoardum Anglorum reges excitato. Tumultuabatur Græcia,Andronico viciniori auxilijs Ligurũ Constantinopolitanum imperium acriter inuadente. Põtifex verò maximus ob seditiones Italicas,quibus remedium afferre nullo modo poterat, Roma Auenionem sedem suam transportarat. Cedere namq; tẽpori & licet peregrinationis mutato solo,eidem subijci climati, iucũda est vicissitudo. Quod eidem sanctæ Sedi longissimis terrarum emensis spatijs licuit obtinuisse. Quibus demum rerum, & temporum mutationibus est subsecutum, vt iuris diuini, humaniq; prædones,& religionis hostes, labes,& dedecus pudicitiæ, tum

primum appellati Turcæ Tartarorū imperio collabente, suam ad Pōtum amplificarēt potentiam, & quodam Ottomāno fugitiuorum duce, ad vicinorum cladem vterentur. Sicuti.n. ruinis Albæ Roma, sic Turcica aliorum diminutione in immensum creuit potentia. Quæ alios, atque alios Duces, & bellatores nacta, magis ac magis quotidie propagatur. Nam non tàm quidem facile de vicinis prædas Ottomannus egit, quàm Orchanes eius filius, patris exēplum institutumq; secutus, aperta vi Nicæam & Nicomediam, vrbes & prouincias ipsas expugnare cœpit, & intestinæ inter Christianos Palæologorum discordiæ ad sua proferenda occasione vti minime dubitauit. Hostes enim occasionibus alliciuntur, & nos nostraque perimuntur. Quo eodem etiam propemodum tempore non modo in Orientis imperio intestina bella, verum etiam & in Occidentis fuerunt; & duo simul Cæsares Fridericus Austriacus, & Lu-

douicus Bauarus electi extiterunt, vnde tandem graue & diuturnū bellum in Germania perdurauit. Magnos enim motus facilius est excitauisse, quàm excitatos sedauisse. Age, Turcis in Europam gradus an non primus tùm fuerat, cum Græcorum cū suo Cæsare exoriebatur dissidium; & cum Constantinopoli Imperator Amuratem Turcarū Principem in auxilium euocarat. Factum quidem fuit, vt Turcæ breui interiecto spatio Callipoli & Helesponto potirentur: nec mora, Philippolim & Andrinopolim caperent, & Pruzia relicta Andrinopoli sedem suam collocarent, quo ferundi specie auxilij non tanquam hostes, sed tanquam hospites venerant; & tamen nihilominus malitiosè omnia inuerterant, cupiditate proferēdi dominatus: qui enim ab infido fidem, & à barbaro expectaueris humanitatem? Grauis quidem tum vel inter Pontifices ipsos simul electos plures, fuerat contentio, & vrbem, orbemque ciuilia

arma, dissidiaq; funestabant. Quibus rebus, & occasionibus non tantum animosiores, sed & potentiores Turcæ effecti, vel ipsum imperij caput Constantinopolim obsidione cingere minimè dubitauerant: & Marco Despota victo Rasciam, & Bulgariã, sepimenta potissima duo, ab Hungaria auulserant, præsertim cum intellexissent Hungaros cum Transiluanicis Saxonibus, Venetos cum Genuensibus, Galeaciũ Mediolanẽsem cum Sclaligeris, in Christiano orbe inter se præliari. Nulla enim res optatior est tertio, quàm cum concertauerint inter se duo, vt ille occasionem nactus, bolo (quod aiunt) potiatur. Quò etiam credibilius fuerit, vel tùm adhuc Constantinopoli potiri Turcas potuisse, nisi Temirlanus, qui Turcã Baiazettem prælio victum, & vinctũ aureis catenis habuerat, interim obstitisset. Semper quippe & vbiq; numen, cũ minus speraueris, affulget diuinitatis. Dolendum autem est, nos non peræque

vti

vti ſciuiſſe tempore hoſtium rebus ad ruinã inclinatis vrgẽdis, & nobis, noſtriſq; perpetuo metu liberandis. Nam Baiazette à Temirlano capto, ipſum ſemẽ Ottomannorũ & nomen deleri potuiſſet, niſi Græcorum leuitas, & inuidentia extitiſſet: qui Calepinum eius filium ex carcere immiſſum nouis auxilijs iuuerunt, & Bulgaros, ac Macedonas infeſtare impunè permiſerunt, Cuius inſtitutum cum Baiazettes filius perſequi voluiſſet, factum quidem præter opinionem eſt, vt & Sigiſmundus Imperator ad Nicopolim, & Columbarium grauiſsimè à Turcis cæderetur, & ab Huſsitanis Ziſca in Bohemia hæreticorumDuce, ſurſum, deorſumque omnia miſcerentur, ſic qui connubijs, idem infœlix eſt & prælijs; & ex vno naſcuntur mala quodammodo infinita. Atq; ita ſectas in ſe diſſectas Sãſonis vulpeculis eſſe ſimillimas oportet fateare. Vt enim vulpeculæ caudis colligatæ capitibus diſpares ideo inter ſe fuerãt, vt Philiſteo

rum ſegetes ſacibus, quas in capite gerebant, cōbuſſiſſent: ſic & hæreſes inuicem ſibi diſcordes, & inimicæ, hac tū vna re ſunt vnitæ, vt Dei Opt. Max. religionem, & eius legitimum ſubuertāt magiſtratum. Sol enim noctuarum, & Spartacorum Eccleſiæ officit oculis amplitudo. Sed age progrediamur. Quid enim? An in Baiazettis locum ſuccedente Mahomethe, quàm magnæ rurſus tragediæ excitatæ fuerint quis ignorat? Is nempe Valachiam Polonim, Raſciā Hungarorum, Epyrum Græcorum tùm primum aggreſſus fuerat, cùm Poloni cum Crucigeris Pruſsicis, Hungari cum Venetis, Græci vero cum alijs Græcis inter ſe decertarēt. Quid porro? An idem Amurates, Vladislaum Hungariæ, Poloniæque Regem, non tum acie ad Varnam vicit, cum & Hungari ſuadendo & diſſuadēdo bello diuiſi, & Poloni in abſentia ſui Regis lenti, & ij, in quibus ſumma fides debuerat eſſe, admodum inuidi ſpectabantur? A qua nimirū

A vi-

victoria, vires, & animos Christianorum fractos, barbarorum vero elatos statim vidisses. Vna enim victoria hosti concessa, causa & aliarum fuerit amissarum. Iam domicilium imperij Bysantium, Græciæ totius emporium, Traciæ columen, & ornamentum à Mahomete Secundo tum non est captum, dum Albertus Brandenburgicus, Achilles Germanicus appellatus, contra imperij vrbes bellum gerere, & Columnensiũ ac Vrsinorũ factiones Italiam cruentarent? Qui quidem Mahometes magnis progressibus factis, & duodecim regnis, vigintiquinq; prouincijs, ac ducentis vrbibus subiugatis, eò iam potentiæ, audaciæq; venerat, vt Italiam quoq; petere, & Hydruntũ in ea capere minimè dubitauerit. Sed nec opinata præuentus morte, simul cum vita & imperio est spoliatus. Quippe mortalia mortales, quàm perpetuo coronas cogitent potius triumphales. Huius vero Baiazettis filius Sforziæ mediolanẽsis instinctu sic sẽper Chri

ſtianis odio & maleuolentia in alios proni nõ diſsimiles fuiſſent ſui, An cum Venetis fœdus non perfidioſe fregit, & Mettonem, atq; Coronem ijs non ademit? cum Carolus VIII. Gallorum Rex Neapolim proficiſceretur. Semper enim Barbari gerendis rebus bellorum noſtrorum ciuiliũ occaſiones captant, & vel ad vnicũ contra eos nobis initæ, aut ineundæ concordiæ nuncium quidquid increpuerit, cum metu & horrore circumſpectant. Taceo Selymum huius Baiazettis filium & parricidam crudeliſsimum, Ægypti acceſſione non alio fuiſſe auctum quam cruentiſsimo illo Chriſtianorum ad Rauennam prælio, quo de maxima omnium Chriſtianorum regum inter ſe diſcordia ipſi conſtabat; & Cæſar Borgia horribilem hominum cædẽ & ſtragẽ in Italia paſſim edebat. Tantundẽ autẽ fere fuerit barbaros creſcere voluiſſe, quã cõmunia conſilia, & arma cum ijs habuiſſe. Difficilius enim eſt hoſtem paulo pa-

ti altius ascendere, quam in nostrum funus,& interitum ad summa peruenire. Hos porrò Ottomannos Selymus subsecutus, quas non turbas dedit? Quas clades,& detrimenta Reipub.non intulit? Quid non eorum, quæ à maioribus suis tentata antea fuerant, non fœlicissimè, celerrimèque subiugauit? Nec mirum. In ea enim inciderat tempora, quæ fuerũt funestissima, Martino Luthero præferente facem tumultui rustico, vt Gallorum, & Hispanorum bella, quæ diu durauerant, hoc loco taceantur. Vnde aliquando qua ætate Lutherus esset, Solimano interrogante, & nescio quo, quod quinquagesimum annum ageret, respondente, sic dixisse, fertur: Dolendum (inquit) quod nõ sit iunior certè. Nam egregiam operam nobis nauauit. Quid namque. An cum ille Vitembergæ religionẽ sillogismis, Turca Rhodũ, & Taurinum non oppugnauit armis. Et cum rustici eo authore contra dominos præliabantur, an Ludouicus Hun-

garię, Rex & alij principes in acie cõtra Turcam nõ cædebantur? Raro enim in meditullio Christianitatis fuit aliquando cladis, quo minus eodem illo tempore non inurat etiam Turca aliquid ipsi calamitatis. Quo magis præstaret bellorum ciuilium non nasci, quam causam tantorum malorum præbere authores. Qui tantum quidem abest, vt sociorum vulneribus moueantur, vt etiã à Mohaccensi illa Regis Hungariæ Ludouici clade in Spirensibus Germanorũ comitijs deliberatũ fuerit, num Hungarorũ Legatis Turcico habitu vtentibus postulata ab ijs auxilia expediret impartiri. Sic cum religione in Germania germanitas, & ipsa militaris extincta est fortitudo. At enim quid ex hac animorum, studiorumq; in Christianis dissensione subsecutum sit videamus. Solimanus Mohacensi Hungarorum clade animosior factus, non modo in Hungariam, verum etiam in Austriam venit, & Viennam tantum non expugnauit;

Lincium quidem vsq; Turcæ populabundi excurrere, & omnia vi, ferro, flamma complere mininimè dubitarunt. Atq; ita nimirum vno ferè eodemq; temporis interuallo, Rhodũ insulam celeberrimam, exulum perfugiũ, naufragorũ amisimus receptaculum. Taurinum non modo Hungariæ, sed totius Christiani orbis propugnaculum bis, terue antea à Turcis tẽtatum, à Solimano expugnari passi sumus, regẽ Ludouicum cædi, Hungariã affligi, Viennã oppugnari permisimus. Quid tum interim? Bonus quidem erat Pont. Max. Adrianus dictus, sed vereor ne tantum dici potuerit bonus, cum Rhodiẽsibus auxiliũ petentibus, S. Petrum pauperem esse, nec quidquam facile opis ferre se ipsis posse, respondisset. Bonus Rex Bohemiæ Ferdinandus, sed vt mihi quidem videtur, rebus cõtra Turcas gerendis parum fuerat fortunatus. Interim vnũ ex alio bellum Christianos inter Principes perpetuo serebatur, statio cõtra Turcas excubãdi desere

batur,

batur,nunc in Germania Saxonicū, nunc in Italia Senēſe,nunc in Gallijs Mettēſe gerebatur. Sed hæc obſoleta & a memoria hominum iā remota fortaſſe dixeris.Sit ita ſane. Quid vero nuper Cypricū regnum,& quomodo perijt? An non tum cum ciuili bello arderēt Galliæ, tumultuaretur Belgiū,Daniæ & Seciæ regna decennali bello inter ſe decertarent? Rerum quippe in Turcas gerendarum occaſiones fuerunt initio neglectæ; variæ diſceptationes & deliberationes diu multumque de ineundo fœdere habitæ; ſero pactiones initæ; prouinciæ, quarum nondum eramus victores, inter ſocios diſpartitæ;&tantum non decantatus triumphus ante victoriam, qua vt potiti ſimus vincere quidem,ſed victoria vix vti ſciuimus,&tantum nobis Carinæ Turcæ regna, & prouinciæ in prædam concesserunt. Quo nomine ipſe etiā Selymus Turcarum Tyrannus Veneto Legato Biſantij aliquando impotenter inſultauit. Quid, inquit, ſi
Chri-

Christiani vestri magna affecisse clade me falsò, vt omnia opinãtur. Mihi barba abrasa, vobis quod non amplius crescet, dextrum amputatum est brachium. Cuius Turcicæ in victoria insolentiæ causam si quæsieris, non aliam profectò inuenias, quam quod non tàm suæ potentiæ, quam nostræ Turcæ magis fidunt discordiæ. Quam & Solimannus Buda capta, Ferdinandi Legatis Comiti Salmensi, & Baroni Herbestaino exprobrauit. Cum Ferdinandum eorũ Romanorum Regem, & eius fratrem Carolum V. Cæsarẽ Draconi vnius caudæ, & multorum capitum, se vero ipsum multorum capitũ, & vnius caudæ assimilasset. Quo sequeretur, vt varia, & multiplicia capita, efficere aliquid conantia, facilè impedirentur; se vero quocunq; ingredi volentem, tanquam vnius capitis Draconem caudas oportere comitari. Quod vtinam quidem re & veritate ipsa non experiremur. Nam cum ad bellum contra Turcas gerẽdum debent

bent

bent accedere, omnes fere stant post principia, multi consilia præstare, sed paucissimi pericula aggredi volunt; omnes alijs gubernandis præesse, sed vix aliquis subesse eorũ næuis patienter perferendis. Cuncta deniq; uana fortitudinis, plena autẽ sunt vanitatis. Nos oratoribus, Turcæ bellatoribus; nos subtilitate disputandi, illi scientia bellandi delectantur. Apud nos vitiosum otium, in Turcia armorũ est negotiũ; apud nos sillogismis, in Turcia hastis certatur; hic dies comitijs, illis lustrandis ducitur copijs; hic noua quotidie religio, ibi curatur dominatio; hic nos exhauriunt, Turcã vnũ locupletant in bellũ profectiones. Nam quæ ille, & quãdo voluerit, à subiectis habet, nos incertã spẽ secuti cogimus cõuentus, idq; frustra sæpius, & si deniq; ab ordinibus, ordo quibus nullus fuerit, aliquid impetramus, exulceratis animis magis, cogimur à comitijs domũ rursus proficisci. Quid multa? Omnia bello, paceq; vobis cladem

hostibus conciliant auctoritatem, & dum in comitijs Imperij vltrò, citroq; consultatur, semper fere à Turcis aliquid occupatur, cum exitio & ignominia Christiani nominis sempiterna. Sic sub Varmaciensi. Hũgaria Taurinum, sub Norimbergensi. Christiana Respub. Rhodum, sub Spirẽse verum Hungariam, Budam, sub Augustanis amisit Strigonium. Quid ita inquies? Quia quod olim Nasica prædixerat suis, hoc ego hodie prædicerem etiã Christianis; eos qui externis vinci armis simul vniti non potuissent, diuisos tandem sub Turca subiugari. Ac rectè alicubi Tacitus Romani Imperij hostibus sic imprecatur. Maneat, inquit, gentibus si non amor nostri, saltem odium sui; quandoquidem vrgentibus Romani Imperij fatis, iam nihil fortuna præstare magis potest, quam hostium discordiam. Pro qua eadem Mahometani contra nos suo modo numen orant, & tamen non nemo hosti parère, quàm quæ in rem suam fa

cerent potius, non dubitat procurare. Quam bene dies mōstrabit. Quorsum, quorsum sectari est triumphos eos, in quibus & hostis, quod suum fuerit, amittat & victor cum alieno intereat. Ferunt Pyrrhum Epyrotharum Regem, cum semel & iterum victor ex prælio plures suos desiderasset, tandem postremò exclamasse. O miserum & amentē, inquit, me, si quam quæro, tertio potiar victoria. Nam qui mecum ea lætetur, habiturus sum neminem. Quod & nobis tandem timendum est Christianis. Nam tamdiu inter nos colluctabimur, quo ad tandem iugum à Turca cunctis imponetur seruitutis. Cum nihil sit infœlicius, quàm vel opima in suis potiri victoria, quæ vel in optima causa fit opinione peior, & moderatissimus quisq; efficitur ea insolentior. Non tam enim in alienigenas, & remotos, quam quodammodo in suos ciues, vel vicinos iracūdia excitatur victoris. Atq; hoc videlicet ipsum antiquissimis etiam

exem-

exemplis poteſt oſtendi. Quid enim? Videamus paulò Sullana, Marianaq; Romæ tempora, & quam honeſtiſſima cauſa inhoneſtiſſimum exitum habuerit, mentis acie intueamur. Quæ turpis, & minime neceſſaria, vlterius etiam quã par fuerat, progreſſa eſt; & honeſtiſſima cauſa inhoneſtiſſimum exitũ ſortita, quæ nobilitatis auctoritate pulchre primum defenſa Romam, & Italiæ partes plurimas defœdarit. Non enim inter eadem illa conſiſtere licuerit ſepta, inſtigantibus ſocijs ſemper victori. Quid? An vel adhuc crudelior Cæſar à M. Tullio ipſo non fuerat iudicatus, quod (vt ille ait) in cauſa impia crudeliori adhuc, quam aut Marcus, aut Sylla vſus ſit victoria, & non ſolum ſingulorum ciuium bona publicauerit, ſed adeo etiam exteras gentes, & nationes, vno calamitatis genere comprehenderit vniuerſas. Magnum enim inter eum, qui priuatim alicui, & qui promiſcuè omnibus iniurius ſit, fuerit diſcrimen. Iam vero, ſi

ro, si quid posterioribus etiam temporibus, bellis, & factionibus ciuilibus crudelitatis exercitum sit, commemorare velim, dies me deficeret. & quisquã dubitabit in factiosis Italiæ vrbibus, quæ sub Guelforum, & Gibellinorum nomine, nunc Pontificias, nunc Imperatorias sequebantur partes, tantùm furoris quorundã extitisse, vt qui in aduersariorum venissent potestatem, aut vi excoriarentur, aut ex domorum fastigio præcipitarentur, aut alio genere mortis, non modo ipsi, sed & eorum coniuges, & filij immanissime necarẽtur? Nescit enim rabies modum, & ciuilibus motibus perrarò aduersario est indultum, vtpote cum nullus vtrinq; finis imponatur nocendi, & nunc exultet uictor, nunc victus ad persequendũ de hoste inflammetur, perpetuaq; vltionem, calamitatumq; continua sequatur vicissitudo. Quid enim? An recentioribus (si modo recẽtiora dici queũt exẽpla) idem nõ probetur? Quis nescit Zisca patriæ

parri-

parricida Duce, bello ſeditioſorum in Bohemia inteſtino, tantū ſāguinis effuſum, tot opulentiſsima monaſteria, tot magnificentiſsima templa euerſa fuiſſe, quot & quāta magnis pecuniarum aceruis, & longiſsimis tēporum ſpatijs reparari vix poſſe videantur. Demoliendi namque quàm publica augendi ædificia, facilior eſt via, & quod auorum erexerit pietas, nepotum deſtruit improbitas vel nonnunquam. Iam quid poſtremò & in Gallijs factum ſit, horret animus referre, & præſtaret vel ipſam, ſi fieri poſset, rerum memoriam ſempiterna obliuione abolere. Quædam enim non tam referre, quā videmur docere literis conſignando; & vbi vnquam, vel in media barbaria tanta extitit crudelitas, quanta ab ipſiſmet ciuibus in Gallia eſt exercita? cum tot, tātaquè templa, & cœnobia diruta, tot mortuorum ſepulchra violata, tot millia religioſorū cæſa, & ipſorum Galliæ Regum capita tota Gallia per ludibrium circumlata,

cumlata, memorentur? Funeſtant certe omnia magis arma ſuorum, quam vel hoſtium externorum. Quæ cum ita ſe habeant, & cum concordia paruæ res creſcant, diſcordia maxime dilabantur, bella fugienda ſunt ciuilia, quæ tot vrbes, & prouincias, tot regna, & imperia cladibus affecerunt, tot priuatorum domibus, & facultatibus exitiales fuerunt, tot florentiſsimas Reſpub. ſtirpitus euerterunt. Nihil eſt ciuili, inciuilique prælio, diſsidioq; peius, nihil conſenſione mutua, tanquam quadam harmonia concinnius, nihil concordia commendatius. Enimuero ignoramus, ſi hominem aliquem ita bene moratum fortè conſpiceres, qui non ſolum diſsimilia, ſed planè etiam faceret ſibi ipſe contraria: an tu eum odio, & deſpicatui non haberes? an patremfamilias, qui coniugem, liberoſq; proſtitueret ſuos, non auerſarere? Ad eum planè modum habet, habebitq; ſemper ipſa etiam ſe Reſp. quæ ſi repugnantibus conſilijs, &

Prin-

Principum infeſtetur actionibus, nec ipſa quidem ſalus eam ſaluabit, ſed oportet, vt perpetua Principum cura conſpirationeq; in hoſtes communes mutua identidem ſubleuetur. Nam vt hominum, ſic & Imperiorum finis impendet tandem fatalis, præſertim ſi eadem illa vrgeantur fata, fatuave exiſtant Principum cõſilia, à quibus gubernantur. Vnde & Vlyſſes ille a ſuo Homero dictus ſapietiſsimus, cum pro tot ab Alcione Regis filia acceptis beneficijs, nullam, quam illi rependeret gratiam, apud ſe inueniret, ſaltẽ quidem illud diuinitus ipſi eſt imprecatus, vt maritũ, liberoſque inter ſe cõcordes ſortiretur. Eſt enim pax & concordia cunctis vtilis, ſed regibus & cõiugibus vtiliſsima; quos cum natura, & benignitatis mutuæ conſuetudo generet, quaſi fratres; & nomen, ac tituli, quos ſibi inuicem dare ſolent, nominibus ſimiles requirant mores, qui efficiat diſſenſio hoſtes, vt in furorem acti, ea in mentem veniant conſilia, & in manus

nus arma, quibus vincere vtrisq; luctuosum, cadere fuerit ignominiosũ, cum non nisi de barbaris possit, & debeat iustus, & laudabilis triũphus vnquam referri. Domestica quippe, & externa bella his nominibus differunt, quod hæc vt quiete viuamus, illa, vt mutuis armis concidamus, suscipiuntur, atq; geruntur. Ac nulla mea quidem sententia Tyrannis est grauior, quàm populi seditio. Quam qui alit, aut desiderat, & priuatos focos, & publica commoda videtur odio habere, & à communione reliqui Christiani corporis vltro ipsum se, suosq; segregare. De quibus enim in pacato, nec quidem cogitatur, hoc ingruente bello sus, deque agitatur in communem disperditionẽ. Quo magis demus assidue operam, ne quas ipsi fugere videri volumus, alijs inferendo iniurias animi nostri impotentiam præ nobis feramus, aut potius declaremus. Non omnis victoria vtilis, ac nec perpetuo fuerit laudabilis: falsè quidem Tragicus,

Ami-

cis,inquit dominaberis, si tantum viceris, quantum volueris. Vnde & Demosthenes eam victoriam optimam, cum aut filij parentibus, aut ciues crederent ciuibus, aperte testificabatur. Melius enim aliquando, vel de suo ipsius iure aliquid est cedere, quam aridis,quod aiunt,folijs, de proximioribus triumphare. Quod si in obsidione vrbium dissentientibus in se vigilibus nihil boni speres: Quid in principibus Reipublicæ? Nō temere quidem venenum regnorum principum inter se appellant discordiam; quia quo plures & maiores laxata per se ipsa mouent, eò difficilior est & curatio morborum remedijs afferendis. In omni denique memoria saluti consulendum est suorum, secus vero barbarorum, à quibus nō modo natura & consuetudo, sed ipsa nos separat religio, qua à religandis animis dicta tanquam adamātino aliquo vinculo inuicem colligamur. Fit tamen aliquando, vt partim propter ambitiosa consilia, partim

ob partium ſtudia opinionem ſaluti quis antepoſuerit ſuæ, & vita, quam ſententia potius velit decedere. Sed certè expedierit, vno, quod aiunt, eodemq. clypeo tectos, quàm barbaros magis vixiſſe, & cum infidis fida, & communia conſilia nunquã penitus habuiſſe. Non enim quod diu durauerit, æternum fuerit æque ad omnem perpetuitatem. Ferunt Franciſci I. Galliarum Regis matrem, filiũ à ſocietate cum Turcis ineunda dehortari aliquando non dubitaſſe; ſed cum tandem nihil proficere potuiſſet, ſubiunxiſſe, illum, illiuſq. progeniem caſuram, & nihil vnquam fælicitatis quoad viueret diuinitus habituram. Id ſi ita, ſecusve ſe habuerit, aliorum eſto iudicium. Mihi ſatis cum Heſiodo Poeta ſit dixiſſe: Contentionum genera duo eſſe: Primum, quo homines ad virtutem inflammarentur, bonum; alterum ex quo bella ſeditioq. orirentur, peſſimum, de quo alter ſic canit.

Principio parua eſt, ſed protinus imis

Contingens pedibus caput inter nubila cōdit.

Quæ cum omnibus, tum maximè Christianis est fugienda, curandūq. vt ante omnia nos ipsos prius vincamus; tandem vero ad alios etiam superandos, si ita expedierit, contēdamus. Numquam enim, qui seipsum prius non vicerit, alterius aget victorem, Ac profectò interni, & externi belli gerendi longè dispar est ratio, ne statim quem initio potentiorem, hunc & fœliciorem bello ciuili videas extitisse. Nam, fine non expectato, multi etiam quieti & integri ciues ad arma excitantur, partim misericordia in victos, partim odio & inuidia erga victores. Miseratio namque etiam nullius euocata precibus, præsto est pereuntibus, & arma victoris, quid de me tandem ipso, aut etiam de altero decernere voluerint, pro se quisque extimescit. Itaque & Romani olim illi rerum domini, & gubernandæ Reipub. artifices sapiētissimi, bellorum ciuilium funestos exitus assiduè animo contemplati

vel ea ipſa dulcedine gloriæ, quæ ad res gerendas maximè inflammat homines, priuare voluerunt; & ne pro recuperato, ſed pro aucto imperio triumphus cuiquam decerneretur, edictum ſeueriſſimum promulgarunt. propterea quod publici gaudij ſignificatione minus digna ea videretur victoria, quæ nō patriæ hoſtium, ſed ciuium ſanguine pararetur. Tantum quippe differt, adijciat, an detractum quis reſtituat, quantum à principio beneficij ad finem iniuriæ, ſeu differentiæ, ſeu verò etiam fuerit interualli. Omnes namq. Chriſti & naturæ lege noſtris paremus, & de barbaris ſpolia & triumphos quæritamus. Quod vt nō modo præceptis, ſed & exemplis eorundem Romanorum planum ex ploratumq. faciamus, paulo etiam altius rerum ab ijs geſtarum memoriam, ſi libuerit, repetamus. An enim M.Lepido Collega ſuo cum omnibus deleto copijs Catulus in Vrbem reuerſus moderatum ſatis gaudium

non

non præ se tulit? An C. Antonius Catilinæ victor absterſis enſibus in Caſtra non redijt? Et an poſtremo Marcus ipſe ciuilis helluo ſanguinis ad Deorum templa cum triumpho repente properauit? numen quippe ciuilis cruoris, & primus hominis impetus expers eſt rationis. Iam & Cneus Pompeius, qui dux quam miles; triumphalis, quàm conſularis prius extiterat, an vnius belli ciuilis incendio, quod aut voluntarium, aut certe minus videbatur neceſſarium, tot tantaſque res terra mariq; à ſe geſtas non inquinauit? Multis enim annis laboribuſq. gloria nominis comparatur, ſed vno aliquando momento & facile euaneſcit. Quid Caius Cæſar, quo collatis ſignis pluries pugnauerat nemo, & qui Europam, cæde, Africam, conſilio, Aſiam celeritate vicit, an non bello ciuili a milite audiuit, quod numquam audierat ab Imperatore externo?

Rheni mihi Cæſar in vndis
Dux erat, hic ſocius: Facinus quos inquinat æquat.

 Vnde

Vnde etiã vitam cum imperio simul amisit; Consuetudinem enim seruiẽdi possunt afferre Tyranni populo, sed non possunt dominari diu secundo. Quo magis quis dubitauerit, vltione nihil fœdius, & relata gratia esse præstantius; quamquam gratia oneri, vindicta habeatur voluptati, quam, quo minus prosequare, nunc aliquando difficultas, nunc temporis ipsius excludit te longinquitas, & nunc hoc, nunc illud sæpe retardat; sed quo minus referas gratiam, nec Reipub: ratio, neque temporis occasio, neque propter vetustatem vlla excusauerit te obliuio. Accipienti namq. non referenti beneficium mentem memorem imprecantur sapientes. Vnde & Lacones vnum illud numen implorabant diuinitatis, vt causas ignoscendi habuissent plures, quã vlciscendi occasiones. Non enim ad magna magno cum animo videtur esse natus, qui non tam alienas vlcisci, quàm suas in alijs vult iniurias vindicare. Ac memorabile in primis

fuerit,

fuerit, quod Alexander Magnus crebris vſurpabat ſermonibus, Regium eſſe, cum benefeceris, male audire: etenim vna illa magnifica, magnoq. principe vox digna teſtatũ fecit, ipsũ non modo in hæreditatis, ſed & in virtutis paternæ poſſeſsionem veniſſe; & verum illud fuiſſe, quod de Philippo Macedonum rege ipſius fertur genitore, cui cum quidam, vt maledicum in exilium ageret, ſuaſiſſet, non dubitanter, ſe nolle, reſponderat, & cauſam ſubiunxerat; Quid ſi vero inquit adhuc deteriora de me in exilio loqueretur? Quo ipſo quod maledicum non punierit, clementiæ; quod in exilium non pepulerit, prudentiæ; quod contempſerit, magni animi dederat exemplum ſingulare. Etenim ſi maledictis non iraſcare, & vera proculdubio eſſe; ſi ea cõtẽptui habueris, ſenſim agnoſcas exſoluiſſe. Sed quotus quiſque eſt, qui hanc viam intelligẽs gloriæ, animi non ceſſerit potius impotentiæ? Quanquam qui virtutes iſtas habuerit a-

pud se despicatus, næ illæ solem è mundo tollere, & proximorum infirmitatem æquo animo voluerit tolerare. Quo enim pacto, in tanta rerũ & ingeniorum, fortunarumque disparitate paritas retinebitur animorum, quæ humanæ societatis parens altrix internæ pacis, externæ est præsidium? quasi vero quòd medici suadent, curare contraria cõtrarijs, idem non expedierit viris prudentibus & cordatis, vt videlicet neminẽ odio habendo, neminem temere ledendo, obtrectando denique nemini, aliorum nequitiam bonitate, amentiam ratione, temeritatem cõsilio, furorem mansuetudine vincamus, & cum alijs, tum nobis ipsis maxime imperare addiscamus. Fuit enim quauis arte hostem superare laudatum, sed virtute laudatissimũ. Quod si medici mente captorum tolerauerint vitia, quid nos etiam non feramus, tam quidem nostra, quam etiam aliorum? Rarus enim est, qui quod reprehenderit in altero, non

reco-

recognoſcat in ſemetipſo, ſi verum ingenue fateatur: poſtremo, quo ore illum cœleſtem inuocabimus patrẽ, ſi cum eius filijs nulla nobis fuerit conſenſio? & qui alijs futuri ſumus pares, cum quos hic deſpexerimus, illi nos Orco in perpetuum mancipabunt? Hem quam perfide oramus, vt regnum Dei adueniat, cum in eo regno nihil ſit aliud, quam pax, quàm concordia, quàm quies, & tranquillitas animi ſempiterna. Quid? Chriſtus Opt. Max. concordiæ, & amoris ſymbolum, corpus ſuum nobis reliquit; & ne in perpetuis verſemur diſsidijs, pacem ſuam nobis dedit, pacem reliquit, & nos eam auerſemur? Remiſſurum ſe nobis peccata promiſit, ſed ita vt & nos quoque remittamus. & nos nihil minus fecerimus. O ſcelus, ò amentiam noſtram deteſtandam. Et quid publicanis meliores, quid pſeudoprophetis iuſtiores futuri ſumus, qui & ipſi non habebant eos odio, à quibus nullam iniuriam accepiſſent. Sed nihil

hil tamen minus quam imitabantur eũ, qui super iustos & iniustos pluit, & pro interfectoribus suis orauit, & omnia nostra causa pati, sufferre, & denique mortem oppetere non dubitauit, cuius exemplum nostrum est documentum; salus doctrina; mors perfugium; cruciatus gaudiũ sempiternum. Quæ nos vicissim pro eo, si necessitas tulerit, patienter ferendo, non fugiendo; omnes amando, & nemini inuidendo, cœlo potiamur. Fac moderationem animi, abiectionem; firmitatem, obstinationem; leuitatem, candorem, & ingenuitatem dici, & nunc has, nunc illas virtutes, vitia: & rursus, curiositatẽ, ingenij, viuacitatem; morositatem, grauitatem appellari; quasi vero nesciamus, summi rectoris imperium, æternæ illius sapientiæ decretum, vulgi iudicio præferendum, apud cuius tribunal, dictorum, factorumque nostrorum omnium exactissima reddenda nobis erit ratio, nec admittetur prouocatio, aut vel aliqua am-

plius

plius valebit excusatio. Quid? An & præter præmiorum spem, & cruciatuum metum, illis etiam ipsis, qui à rogo nihil superesse hominis duxerunt, hæ, similesq. virtutes non fuerunt charissimæ, & nos eas contemnamus? nos ipsos auersemur? mutuis inter nos armis cadamus? seruituti Turcicæ studiose nos mancipemus? Vna, vna illa est, quæ nos libertatemque nostram seruat, & auget, cõcordia. Quæ vna Deo hominibusque commendat, vt huic contraria seditio maxima quæque regna & imperia labefactat. Quo magis vnitati inter nos, concordiæque studere, & bella ac seditiones debemus euitare. Bella ciuilia inciuilia valde sunt, & nec quidem in bonorũ consilium, deliberationemq. cadunt, ex quibus quid adhuc mali metuendũ, quid cũ metu & horrore in Europa circumspectandum sit, pro se quisque, si oculis non potest, animo & cogitatione intueatur, & quid habẽt Africa Hispaniæ infestius; & an

Galliæ ex vna parte Africo littori nõ ſunt oppoſitæ; & an Germania periculum Hungariæ, Scythia, Poloniæ, Epirus Italiæ non minatur? Nauigauit olim in Africam Cato, & vt Romanis ſuis bellum perſuadere potuiſſet, ficus ex hoſtico recentes Romam attulit, quibus vicinum periculum, niſi & occurreretur, denuntiauit. Vos non vicinitatis terrore, ſed tubarũ Turcicarum clãgore ab hoc lethargo quis excitauerit? Aeque hodie facile Appollonia Hydruntum, quam ante centum annos, cum illud Turcæ ceperant, mare traijcitur. Multo autẽ citius quàm Buda tepefactum milliũ ex aliquo Turcicæ ditionis loco Viẽnam apportatur, quod olim Regem Matthiam Coruinum ad oſtendendam, qua itinera confecerat, celeritatem, memorant factitaſſe. Quorſum autem hæc noſtra talis, tantaque fuerit negligentia? Belligerandum certè poſtremo cum Turca eſt, & non tam expectandus domi, quam aggrediẽdus & infeſtandus eſt foris. Nimis

abiecti

abiecti est animi, ab hoste perpetuo tueri se domi, & extra confinia sua nolle vnquam proficisci. Hoc quidē consilio olim ab armis Annibalis fecit liberam Scipio Italiam; Hoc rursus Annibal contra Romanos Antiocho dedit; Hoc Regina Tomyris Cypro suggessit; Hoc Agathocles pacem ab hostibus, quos sustinere non poterat, impetrauit. Est, est inferentis, quàm propulsantis bellum semper impetus grauior, & fama ac opinio bellatoris maior, & terror quidam vehementior. Quæ vna efficeret res, vt aut in existimatione aliqua, aut contemptui omnino haberemur. Quid quod longe domo profectus nō peræque hosti cuncta obieceris, militem, quo cum pugnet, coniugem quā violet, liberos quos stupret, parentes quos diuexet, patriam, quàm euertat & inflammet? Quæ omnia morte ipsa sunt, eruntq. semper acerbiora. Moriendum enim postremo est, sed illud vnum in multis est mali, si antequam moriare, tot, tantiq. subeundi

di fuerint cruciatus. Quod vtinam quidem nec ſero, nec niſi iam ſerio cognoſcamus, & labanti Reipub. vel quamprimum ſubueniamus: & erit qui non tam ſua, quam Chriſti Opt. Max. non commoueatur tādem iniuria? qui non ardeat dolore? qui fratrum & ſociorum non excitetur à barbaris internecione? Eripere tu nos Ieſu Chriſte, ex dæmonum poteſtate morte tua voluiſti, nos hæreditatem tuo ſanguine ſacratam, ex faucibus canum non eripiamus? & quid pugnare videri cupimus pro religione, rebellione in Deum & Magiſtratum cum tali tantaque æſtuemus? Quid filij deſideramus appellari liberæ, cum filijs vltrò nos mancipemus ſeruæ? Quid nobis aliorum vſurpauerimus principatum, cum vel eo ipſo Turcicum attrahamus in nos omnes dominatum? Hem quàm impium nefariumq. fuerit, ferrum in Chriſtianos ſtringere, in crucis hoſtes recondere; pro anguſtis terminis inter nos digladiari, & ampliſſimis regnis

impe-


imperijsq. ſpoliari. Quid non Græciæ Vrbium, vno quæ diuiſæ, vnius ceſſerunt imperio? Quid non altero illius ſectæ moueamur exemplo, qui agens animam filijs commendauit concordiam, & virgarum manipulũ afferri iuſſit, atque vt illum confringeret imperauit, quod cum facere non potuiſſent, ſingulas ipſe poſtea confregit,& idem de illis futurum, ſi diuiderentur, confirmauit? Qui enim eum poteſt ſaluare ſalus,qui ruit ipſe ad interitum dementatus? Erumpat ex me vox tandem libera, vt loquar, quæ ſentio. Qui eius finis fuerit bonus, cuius malum eſt principiũ?& quis illi ſeruiat ventus, cui nullus propoſitus eſt portus ad ſalutem? Sed querelæ non amplius vtiles,quãdo ſeræ; & nũquam laudatur, errando velle aliquid diſcere. Vos oro,obteſtorque principes, qui Reipub.tanto plus debetis, quanto maiora beneficia ab ea accipitis. Date has offenſiones patriæ, concedite aliquid Reipub. iniurias, & offenſiones ve-

ſtras

ſtras mutuo vobis condonate. Athenienſes, vt vrbem liberarent metu, iniuriarum obliuionem omnium inter ſe ſanxerunt. Lacedæmonij in bellum ituri, quod pactione, quàm ferro illud terminare maluiſſent, non Marti, ſed Veneri ſacrificauerunt, & vos Chriſtiani quid facietis? Saracenis crudeliores, Scythis eritis immaniores, qui olim ad Chriſtianorum in Aſiam aduentum omnes in vnum ſe conglobarunt? Claudicare debere dicetis vos, quod claudicauerit aduerſarius, furere quod furit inimicus. Hem quàm leues; hem quàm ad interitum fatalem fatuitatemve potius eſtis procliues. Næ haud prudentum iſta fuerit ratio, aut excuſatio, cuius ſera eſt pœnitentia, comes morſus conſcientiæ, præmium, mors & ſtipendium. Sed faxit Deus Opt. Max. vt ſe recolligant, vindictæ ſtudium poſthabeant, gloriæ & poſteritati ſeruiant, inimicitias omnes deponant, hoſtibus communibus occurant, & nihil minus, quàm inter ſe

præ-

prælientur. Id quidem si ab ijs impetrari nequit, saltem illud diuinitus impetretur, vt ita quisque voti compos fiat sui, vt bene cupit, & seruit Reipub.



Nec



Nec serò, nec nisi prouidendum seriò, ne incerta spe Turcicæ pacis, pactio certa sit seruitutis.



I quis artes, & molitiones cōsiderauerit, eas quibus terrarū orbis in populi Romani redactus olim fuerit potestatem, næ ille Turcicas multo dissimiles fuisse, & nos nostraque omnia sub Turcicū iugum (nisi Deus Opt. Max. prohibuisset) tantum non dixerit peruenire potuisse. Nā quanto quidem Philippus Persei Regis pater, lōgius videre & sublatius de seipso consueuerat loqui, tanto habitus est imprudentior, quod tēpestatē, quā ex Italia in Græciam aduentare diuina-

uinabat, suis viribus consilioque non potuit prohibere. Dictis quidē non respondisse factis, argumentū est vanitatis. Cū enim à Paulo Aemilio postremo esset captus, & vna cū filio in triumphū ductus, quid vtroq. esse potuit calamitosius? Licet.n.clementiæ specie multos sibi deuinxisset Roma, & seruire illi, quā imperare alijs plures voluisset, cū omnibus tū maxime Regibus miserabile videbatur seruire seruitutē. Verùm ita fere semper natura est comparatū, vt futurorum nemo certo sit conscius ad æternam vnā illam ostendendā sapientiā, cuius humani pectoris angustiæ non capiunt maiestatem. Age namque, collustremus mente omnia, & qui tum Romanorum, tū aliorum Regum ab ipsis subactorum fuerit status animo cōtemplemur. Romani, vt Hipponēsis Antistes, inquit, non secus ac in vtero matris partus, sensim principio creuerunt, & in Italia potentiores facti, extra Italiam quoque imperium suum protulerunt. Ac primum quidem

cum Volſcis, cum Aequis, cum Samnitibus, cum Hetruſcis, & multis magniſque alijs diu colluctati ſunt. Demum his ſubactis: bellum Punicũ primũ, Appio Claudio Cæci fratre Duce, ſunt exorſi. Quæ ipſa molitio grauis & ambigua Romanis extitit, qui tunc hoſtibus potentia pares non erant, aut ſaltem non agnoſcebant (Multi namqne vires ſuas agnoſcendo, rebus inſidiati minus ſunt alienis) Verum, habito tandem hominum cenſu Romæ, & ducentis ſeptuaginta millibus virorum coactis, ſpiritu aucti ſunt. & Amilcarem in Hiſpanijs, Afros in Sicilia aggredi protinus non dubitarunt. Atque ita demum vna ex alia belli cauſa partim quæſita, partim etiam adinuenta, Liguſticum, Maſſilienſe, Siculumque bellum geſſerunt, & feliciter admodum confecerunt. Ab Hyerone autem Rege euocati, Carthaginem rurſus aggreſſi ſunt, vt per centum fere continuos annos, nunc pax, nunc bellum, nunc inimicitiæ, nunc indu-

ciæ inter eos perdurauerint, ac deniq. non nisi bello punico tertio Carthaginem delere potuerint. Plerumq; enim accidit, vt Tyrannorum non prius cognoscantur artes, quàm in numerum excreuerint vires, quibus haud ita facile occurratur. Quod in Romanis, eorumque molitionibus fuit videre, nec aliquis initio potuit eas dispexisse. sic vt tandem & Philippus, Macedoniæ, & Antiochus Asiæ, & Nicomedes, Bytiniæ & Mythridates, Ponti & Philomenes, Paplagoniæ Reges nec opinãtes sub eorum iugum redacti sint. At sane Pœni vincere Romanos, sed victoria vti nesciuerunt: & Hanno Carthaginensis verus vates extitit, qui spolia ab Hannibale missa intuitus, bellum quàm vnquam crudelius manere suos à Romanis, prædicere non dubitauerit. Prosperi enim initio progressus non necessario habent eosdem exitus præliorum. Quod vtinam tantum nobis cum Turca belligerantibus non item eueniat, qui siue

bello

bello nostris est inferior. siue etiam superior, occupandis certe Christianorum vrbibus, & regionibus, atq; adeo omni in re, vbique, & assidue præstat se victorem. Magnam autem habet, habuitque semper Turcæ cum Romano similitudinem dominatus, vno excepto, nimirum quod hic iusti, & moderati imperij speciem præ se tulit, ille barbarus, & ferocitate sua etiam eorum, qui fortasse vltro se illi subiecissent, animos plane à se auertit & abalienauit. Romanis enim seruire, quàm imperare alijs; a Turcis vero vita, quàm libertate priuari maluerunt quamplurimi. Age enim progrediamur, & mentis acie minutatim omnia vestigemus. Cedo, An Faliscos Romanorum Ducis Camilli humanitas, quàm vis armorum, & an Pyrrhum Romanorum potententia, quàm ingenuitas Fabricij magis superauit? & denique, an Carthagine delenda, quàm continentia sua ostendenda Scipio admirabilior euasit? at ex aduersum ceu quasdam

in humana figura belluas Ottomãnicos principes ſpectamus, & eorum consuetudinem, imperiumque abhorremus. Nam vt paucos in multis enumerem, An Mahometis, qui Constantinopolim cepit immanitas, Baiazettis artes, Selimi parricidium, Solymani ambitio, & Selimi alterius non nobilitata eſt fraudatio? ita ſane, vt non paucos, eoſdemque potentes populos Ottomanni à ſe abalienauerint, qui nouis imperijs in occaſionibus, inuitis dominis, fortaſſe ſtuduiſſent, cum interim videre ſit, quanta in aliquibus Chriſtianis familijs hominum ſtudia ſibi adiunxerit commendatio æquitatis. Nam & Auſtriaca familia partim connubiorũ iure, partim æqui & moderati imperij cõſuetudine, latius quàm Ottomannica regnat, & religionis Catholicæ in orientis, obeuntiſque Solis partibus vltimis, perpetua eſt defenſatrix. Sed nos Romani & Ottomãnici imperij ſimilitudinem, quomodo ſe habeat, perſequamur, ſiue id in eo videas,
quod

quod, quemadmodum olim Romani, sic & Turcæ ipsi à modicis principijs exorti sunt, siue, quod redigendis in pronincias regnis indigenæ ipsorum opera vtrique vtebantur, consideres, siue denique, quod discordias alebant, intueare. Quod vt adeo etiam exemplis comprobemus, antiquorum gestorum memoriam cum posteriorum hominum factis, temporibusque comparemus. Primùm quidem quærro, an sicuti olim Romanis per Campanos in Samnium, per Mamertes in Hetruriam, per Siculos in Siciliam, per Athenienses in Græciam, per Saguntos in Hiserniam, sic vicissim per Cōtaguzenos in Pruziā, per Paleologos in Thraciam, per Despotos in Rasciam & Bulgariam, per Regem Ioannem Sepusium in Hungariam aditus nō est patefactus? Quod vero ad alendas in vicinis discordias spectat, vt quidem olim Romani ex ciuitatibus socijs hoc modo & ratione sibi seruas, sic Turcæ Græciæ prouincias, & Hungariæ contra Ferdi-

nandum Cæsarem, æmulo ipsius Sepusio tuendo, immanissimos fecerũt laniatus. Debilioribus enim contra potentiores defendẽdis, partim quædam æquitatis, & misericordiæ species, partim compendiaria via proferendi est dominatus. Quamquam Turcæ nihil minus quam aliena curant, & Christiani non nisi serò, quæ in rem eorum facerent, considerant. Baiazette olim Turca à Tamerlano capto, Ottomãnorum familia extirpari potuisset: hoc Christiani curabant scilicet. Amurates ex Asia in Europam contra Vladislaum Polonum mare traiecit, & eundem ad Varnam crudelissimè interfecit: hoc non nisi Christianorum adiutus effecit nauigijs. Baiazettis alterius Turcici Cæsarum Germanus frater petitum in eum auxilia Romã aduenit, à Carolo 8. Gallorum rege veneno est enecatus. Mustapha contra Solymãnanum patrem arma cepit, & hic frustra Christianorum expectandis auxilijs tandem occubuit. Multi

alij Ottomānorum hostes sua nostris arma voluerunt coniunxisse. At quoties reiecti, & spe sua sunt frustrati? Quid multa? Nos in Turcas rei bene gerendæ occasionibus obseruandis remissi, illi intentissimi; nos discordes, illi vnanimes; nos non modo animis, sed infesti etiam castris; nos disiunctissimis terris, & non modo diuersis, sed & aduersis telis, illi vtrisque sunt, fueruntq. semper in nos firmiter conglobati. Non tam quidem cito rusticorum tumultus in Germania est excitus, quàm Solymannus ad mœnia Viennæ superuenit; non tam facile intestinum illud bellum inter Carolum V. Cæsarem, & Franciscum extitit Galliarum, & inter Ferdinandum ac Ioannem Sepusium, quam in visceribus suis vidit Hungaria Solymannum, vt multo etiam taceantur plura, quorum vel minima lacerat, & discruciat nos recordatio. Quibus rebus tantum abest vt remedia quæramus; vt etiam ciuilibus, inciuilibus admo-

dum

dum bellis, magis quotidie opprimamur. Rex Hiſpaniarum Catholicus falſa quorumdam de ſe ſuſpicione; Italia diuiſione; Germania (ſi Deo placet) nouo dogmate; Belgia rebellione; Anglia æmulatione; Gallia inteſtina ſeditione in alto tempeſtatũ aliquamdiu fluctuauit. Ea denique Chriſtianorum omnium inter ſe eſt ſcilicet cõfiſio, vt barbaros hoſtes quàm Chriſtianorum milites hoſpites potiùs concupiſcant. Placet nemini Polyphemi beneficium, qui cũ Vlyſsis ſocios deuoraturus eſſet, ipſum ſe poſtremo deuoraturum pollicebatur, quaſi in beneficijs mors etiam numeretur, & non præſtet cum dignitate cadere, quàm in ſociorum clade & funere otioſum agere ſpectatorem. O miſerum me, ſi neque ego dicendo, neque aliquis tot mala profeceritpatiẽdo. An mors naturæ debita non potius patriæ erit reddenda, etiam per omnes omniũ generũ acerbiſſimos cruciatus? Quid facimus. Quid tergiuerſamur. Quid

occasionum tarditatem in hunc hostem operimur? An, quod inepti faciũt medici, nos etiam facimus? illi febri tabida, nos Turcica fraude, & rabie tardius cognoſcenda. Enimuero ignoramus, ſi febris illa principio facilis cognitu, quod multo etiam, facilior proculdubio ſit extirpatu. Sed illud eſt, illud nimirum mali, quod cognoſcitur à medicis ſero, & propterea aut curatur nunquam, aut omnino rarò. In denſo enim tecto incendium progreditur lentè, ſed non iam purgat, verum obruit poſtremò omnia de repente. Ad eundem modũ & nos quidem decipimur periculis, quæ nos ex Turcia manent diſpiciẽdis. Quæ ſi vellemus depellere, adhuc cuncti poſſemus: ſed vereor cum nobis omnibus non tantum, quantũ par eſt, nunc adſit voluntatis, ne tandem etiã amplius ſingulis ſuperſit vel aliquid facultatis. Omne poſtremo venit tempus, & morbus, quem mox ſi non curaueris, fit grauis & periculoſus. Iam certe is, qui ſalutem
ſo-

ſociorum negligit, prodit eorum & ſuam; & domi expectat, qui foris otioſe calamitatem intuetur alienam. Qui in inuadendo Turca tardus eſt hodie, proculdubio erit & poſtridie, & friuola vnius de altero ſuſpicio obex concordiæ, & rerum gerendarũ celeritatis. Ferunt, olim canes diuerſo diſtinctos pilo, lupo formidabiles, cum eum inuadere vellent, non fuiſſe, & irriſos & contemptos ab eo diſceſsiſſe. Nos verò non rabidos canes, ſed canibus inter nos deteriores, non pilo, ſed inflammato diſtinctos odio Turca non aſpernetur? Equidẽ nullam tãtam in Chriſtianis cauſam inteſtinæ video diſcordiæ; cuius gratia in Turcicam ſeruitutem voluntarie præcipitemur; cum qua nec Aegyptiaca oppreſſio, nec Babylonicũ exilium, nec Aſſyriorum vincula, neque Romanorum dominatio queat conferri. Quo etiam euigilandum eſt celerius, nec modicorum tædere nos debet in Turcam ſumptuum, qui cum opibus noſtris vniuerſis, eo

prædominante, rueremus ad interitum. Id denique bellum putemus iustum, quod est necessarium, cum indignum sit barbaris eos subesse, qui soliti sunt alijs præesse,& eos seruire seruitutem, qui ad omnem nati & eduati sunt dignitatem. Et quisquam dubitabit rei familiaris iacturam se aliquam facturum, si à singulis aureum nummum centenarijs ex prouentibus annuis, vel vnum tantum in bellum Turcicum detrahat largiendum? Quod, quo modo & ratione fieri possit & debeat, pro mea tenui & infirma parte ordiar explicare. Ac primum quidem à regina prouinciarum Italia, sede & domicilio opum, ac vindice pristinæ maiestatis initium sumam. Deinde ad alia etiam Christiana regna, & prouincias tandem accedam. Nemini quidem est dubium, Pont. Max. in Italia ditionem latissime omnium patere, & partim Cisalpina Gallia, partim Vmbria, Piceno, exarchatu Rauennensi, Latioq. ipso contineri.

Qui

Qui vtinã, vt ad Rẽpublicã iuuandã suapte natura promptissimus est, ita multos haberet excelsi animi & pijssimi instituti sui sectatores. Tantum quidem abest, difficile esse, vt etiam facillimum sit, quot quæque prouincia, & oppida viros habeant, eorum census inuestigare. Est quippe, vt minime vtilis, sic etiam multo laboriosior negligentia, quàm diligentia in priuatis domibus, & ipsa Republica gubernanda. Iam vero à Pontificis Max. ditionibus, ad alia etiã Christiana regna & prouincias veniretur. Quibus in cõmunionẽ temporũ, demptis etiam cupiditatum suarum sumptibus, & subleuandis subiectorum oneribus, conferre aliquid, & beneficio gratum, & fama esset gloriosum. Nullum enim nisi per se putidum, & sanguine, hoc est, dilectione patriæ carens membrum à communione totius corporis se patitur segregari. Semel autem & iterum urbium, ciuiumque prouentibus omnibus exacte ponderatis, quid ab ijs

exigi posſit haud ita difficile fuerit æſtimare;ſed vt vel vnus tantum, vt dixi, è centenis ſingulis pendatur denarius, an aut militū numerus,aut grandis ſubito non coaceruaretur pe cunia, cuius ſolutio certa vel ſub ſponſoria cautione, vel pignoribus datis, vel ciuium facultatibus, vel denique alio aliquo modo fieret obli gatis? Initia rerum omnia ſunt aliquantulum duriora, & expedit vt principes de oneribus ſolitis aliquid remittant, aut vt vnus tantum ex ſingulis villis miles eligatur. Sic non deerunt rationes, nec copiæ ad bellum contra Turcam continuandum ſemper inſtructæ: Loca etiam ſeruandis pecunijs munita & opportuna, & diuites pecuniarum aſſignarētur exactores, qui adeo ante exactionis tempus de ſuo ſolutionem præſtare, & Rempublicā in neceſſitate poſſent & vellent adiuuare. Qua quidem pecunia rite perpetuóq. exſoluenda, non annonæ caritatis, nec nouorum aliquorum

belli

belli motuum, non aliarum rerum, & difficultatum allata valeret excusatio, sed ex belli Ducum consilio distribueretur, temporibus statis, & locis ab hostibus magis suspectis & infestatis. Quæ omnia & singula Pont. Max.tanquam supremi iudicis fierent & deciderentur arbitratu. minor enim in eum cadit suspicio partis, patris qui nomen & numen habet vniuersalis. Atque ita si non ad Turcas debellandos,ad retardandos saltem eorum impetus, valeret colligendæ pecuniæ hæc ratio seu adinuentio: nā cum fama bella constēt, nemo eum libēter aggrediatur, quem ad omnes insultus videt,vel audit præparatum. Et denique si inde esset alterius commoditatis nihil,ipsa iuuentutis perpetua exercitatio domi,antequam bellum gerendum esset foris,quid in se momenti habeat semperq. habuerit,quis ignorat? Legendi namque & exercitādi sunt iuuenes, vt ætatem pugnandi nondum venisse, quàm præterijsse potius cau-

ſentur, & minori haud dubiè tam ſumptu, quàm etiam periculo erudiuntur ſui, quàm in viſcera patriæ introducuntur alienigenæ & externi, qui nullo eorum hominum, inter quos verſantur ſtudio, ſed potius odio & maleuolentia ducuntur; & magis ſpolia quærunt, quàm victoriam, Quæ vt vel aliquando fuerit explorata, non petita miſsione aufugiunt, & incertis ſedibus cum oppreſſione colonorum euagantur. Firma autem & continuo exercitata militia in regnis & prouincijs opus fuerit. Fabricando enim fabri ſimus, & ab exercendo exercitus appellamus. Et quid olim Romanorum aduerſus multitudinem Gallorum paucitas? Quid aduerſus Germanorum proceritatẽ breuitas? Quid contra Afrorum dolos ingenuitas, & deniq. quid contra Græcorum artes valuiſſet ſimplicitas; ſi tyronem ſolertem & inediæ, laborum, æſtus, & frigoris non elegiſſent tolerantem? Quem quotidiano vſu, & exercitio, armis

tractan-

tractandis idoneum fecerunt; campestri meditatione assequi & discere cuncta voluerunt; bonos præmijs, malos pœnis affecerunt. Nullis enim propositis præmijs, plerumq. pœnitet laboris & nauitatis. Neque vero celerius tantum, sed multo etiam perfectius ea discuntur, quæ (vt ita dicam) materno cum lacte à pueritia imbibūtur, & nemo peræque timet vt alij mortem, qui non tantopere degustauerit voluptatem. Satis postremo superque persuasum debet esse omnibus, vsum & scientiam bellandi, ingenerare pro se cuiq. audaciam, & facilius obtineri ibi victoriam, vbi ad eam docta paucitas, quàm vbi indocta ad prædam concurrit multitudo, quæ non neminem iam de hoste exultantem rursus triumpho & victoria spoliauit. Quod cum in multis alijs prælijs, tum nuper contra Turcas ad Agriamlicuit perspexisse. Non nisi enim plane iam hostibus in fugam versis vel fugatis, de præda, & spolijs tuto cogitatur. Atque ad

eum quidē modum exercitata, perpetuaq. militia, per omnia Christiana regna & prouincias rectè & scienter dispartita, hostiū conatus impediret; nec modo ij, qui periculo magis sunt expositi, sed vel remotiores quique contribuenda illa pecunia non inuiti procul dubio eam sustentarent. Agitur enim hic Christi Opt. Max. caussa, pro qua non modo opes, sed & vitam ipsam profundere debemus esse parati. Agitur publicus Christianorum omnium honos, ne, viuentibus videntibusque nobis, Respublica à barbaris impune laceretur. Aguntur fortunæ, & negotiationes gentium nationumque omnium, quæ vna illa quiete, & tranquillitate continentur. Non enim modo ipsum bellum Turcicum, sed vel solus eius metus multis inurit calamitatem, & pluribus in locis mercatura & negotiationes cōquiescunt. Fateor, non peræque omnia Christiana regna rabiei Turcicæ esse obnoxia. Quid tū postea? prouidendū

certe

certe eſt,ne his & illis principio ſubiugatis,& reliqui, qui in ſtationem ſuccedent,euertantur. Ante centum annos,in Hũgaria qui pro Budẽſibus comitiis ex Raſcia & Bulgaria de Turcis veniebant nuncij,riſu publico exagitabãtur. Quod vtinã non fieret & in Polonia, cum de Podoliæ, Ruſſiæque clade à Tartaris illata,aut inferenda, noua aliquando afferuntur. Quis ſcit, quæ alias quoque gentes & nationes manent à Turcis pericula, opinione maiora & celeriora? Suum enim ſaltatorium orbem vaga illa & volubilis Dea, falſo fortuna dicta,perpetuo verſat, & nemo ſcit,quid veſper vehat, vt eſt in prouerbio. Habet Italia,præſertim vero in regno Neapolitano, ſinus, per quos olim Pyrrhus Epyrotarũ Rex mare commodiſſime ſemper traiecit. Habet Forum Iulij in quod olim Turcicus incurrit equitatus, tanto nunc magis formidandus, quanto Caniſia capta,maior aditus eſt haud dubie ipſi patefactus. Sunt & Galliæ

Africo

Africo litori ab vna parte expositæ, sunt Hispaniæ ipsimet Africæ, sunt prouinciæ quædam Polonie tribus in locis Turcis & Tartaris factæ vicinæ. Vnde olim Pont. Max. quibus lyncei erant oculi, Cameneciam, Podoliæ arcem propugnaculis munire, & Regibus regnoque Poloniæ pecunia in occasionibus non deesse, minime dubitarunt. Longè enim à sua domo flammam arcere magnæ fuerit prudentiæ & nauitatis; cum nemini sit dubium, quantum in regnis non tam arcibus, quam pectoribus hominum munitis, fuerit semper positum, quæ pro Christianis alijs perpetuas contra barbaros agunt excubias, & fama vigent numerosæ nobilitatis & militaris. Quæ & ipsa tamen nobilitas cur arces & munitiones exstruere non possit aut debeat, haud sane dispicio: materia namque lignorum & id genus alia, sulphuris & nitri, ex quibus puluis tormentarius conficitur, tanta, quanta vix creditur, in Polonia reperitur, Vt aurum,

non

non in magna licet copia, argentum, stagnum, cuprum, ferrum, plumbum, equos, boues, sal, frumentum, ceram, coria, picem, canapes linum lanam, plumam & macerię crudam & alia non enumerē plura, partim vsibus, partim victui humano necessaria, quorum numerus quotidie etiam maior & magis exaggeratus reperitur; quo magis in qualibet eius regni parte talis erigeretur munitio, qualis nec à cuniculis, neque à vicinis collibus, neque ab aquarum deriuatione, neque ab vllo postremo hoste magnopere esset timenda. Ea denique in illo regno ad Istulæ ripam ædificari possent oppida, quibus & publica vectigalia augerentur, & annonæ caritas, quæ, vt plerumque fit, conuentus infestat procul dubio vitaretur: & si aliquando cum Turcis aut Tartaris bellandum esset, non omnia eorum incursionibus paterent, & arcibus oppugnandis ipsorum studia flaccescerēt, quibus numerosissimus Polonicus

oppo-

opponeretur equitatus, qui cū armis Turcicis vtatur similibus, profectò quàm alij magis est formidabilis, quod & pugnam inire soleat alacrius, & vbi rursus necessitas vrserit recipit se ex ea celerius, & ad instaurandam, & difficilia quæque onera sufferenda semper est paratus. Nam aliquarum gentium equites facilius est in mensa locasse, quàm à mensa abduxisse: & plures exercitus, qui videbantur armis inuicti, partim esurie, partim in clementia cœli, à Turcis sunt superati. Quod ne ad Essecum Germanis accidisset, Ioannes Tornouius Polonicus belli Dux, ne à ripa Danubij, ex quo commeatus facilior haberi posset, procul discedere vellent, lustrato ad Viennam Ferdinandi Regis exercitu, eos hortabatur. Vix enim quadrimestri quadraginta Germanicorum equitum millia vllo in loco ali posse Suendius aliquando affirmabat. Sed nos præter famem, & alia incommoda contra Turcas euitanda

tanda, ad pios alios Christianorum contra eos conatus adiuuãdos, dicendo progrediamur. in maxima enim tẽpestate, vel nauarchos ipsos monere par fuerit vectores. Primùm igitur principium illud esto, vt robur & firmamentum regnorum quãoptimus & exercitatissimus habeatur equitatus, & peditatus, cuius deligendi non cuiuis demandanda prouincia, est, cum in tot summis in Romana Repub. viris, vnus ille Sertorius industriam suam vix ei probauerit. Est enim fœlicitatis, quã sagacitatis magis, naturam ingeniorum exacte exploratam reddere sibi velle. Deinde & illud considerandum venit, quod nõ peræque semper maior, sed interdum etiam minor equitatus hostem peruicerit: qui quoniam partim hastatis, partim etiam constat sclopettarijs, videndum quibus hastati & sclopettarij, & quibus indigeat peditatus. Hastati his maxime opus habent tribus, vt velociter & cum impetu hostem feriant: vt so-

lum

lum durum & planum; vt equum habeant optimum, addo & quartum vt & sessorem exercitatum: magna, enim licet stipendia miles habuerit, sine vsu & tractatione armorum sem per tyro euadit. Accedit, vt hastati nō nisi per cuneos triginta equitum numero aut circiter disponātur, pro pterea, quod primi & secundi hastati ordines hostem ferire possunt, reliqui non possunt; & aliquando fit, vt vel integras ipsas hastas intermedij equites abijciant. Quorum robur & scientia bellandi, quam ipsa magis commendāda est magnitudo. Virtus enim, non numerus militum præstite rit triumphum. Age vero, An vel equites, qui vocantur Sclopettarij, non minori sunt vsui in bellis & contentione præliandi? nam pro his eorumque similibus omne solum fue rit bonum, ijdemque equum, secus quam hastati, non admodum requirunt generosum. cunei etiam ipsorum non in paucorum, vt alij, redigendi sunt numerum, sed potius exer

citum

citum efficere debent armis bene te-
ctum,& firmiſſime inter ſe congloba
tum. Stricte enim ſeruare ordines,&
cominus,non eminus pugnare, facit
victoriam adipiſci. Atque hi quidem
ſoli equites pedetentim progrediun-
tur, &, non niſi albedine oculi con-
ſpecta,ſclopetta ſua explodunt, & tur
bati licet fuerint, pugnam facile re-
ſtituunt, & quod haſtati neceſſario
faciunt, varijs, & multiplicibus ar-
mis in acie raro vtuntur. quippe
conſerentibus manus incommodius
eſt nihil, quàm nunc ad hæc nunc ad
illa arma recurrere capienda: quod
haſtatos equites facere neceſſe eſt; ſe
cus ſclopettarios, qui ſemper illis &
ijſdem vtuntur vbique telis,& ſi præ-
grauauerint eos arma, incutiunt vn-
dique metum,& retundunt impetum
hoſtium obuiorum. Nihil enim inui-
tat ad prædam hoſtem, quàm orna-
tus exercitus magis; & nihil abſter-
ret, quàm bene armatus & exercita-
tus. Nudus Afer & excoctus à ſole
Arabs, & Ægiptius arundineus vix
com-

commode opponitur Europeis, quo rum pectus calibeus tegit thorax. & animus est auidus retinendæ libertatis. Quod si hastatos, si non homines; equus certe ferire posset, dixeris, qui rursus inficias ieris, multos cataphractos equites non nisi equorum frontem, ac nec quidem hanc solere habere denudatam? Fieri tamen poterit vt totidem hastati vincant sclopettarios cataphractos; sed id initio conflictus facilius est obtentu, quam temporis demum consecutione, aut progressu. Etenim hastatorum impetus, vt plerumque fit, est maximus, sed vix conatui primo responderit tandem extremus, nec peræque armati hastis, ac inermes sclopettis perpetuo offenduntur. Illud quidem non est dubitandum, quod hastati in exiguos cuneos cito & facile equitatum suum deducunt, & si non à fronte, à lateribus feriunt & disijciunt. Quod idem Sclopettariorum Ducum præstiterit nemo, nisi forte copias etiam habuerit hastatorum.

Quod

Quod in Gallia & Belgio vſitatum eſt hodie, cum exploratum ſit, victoriam quidem dari etiam haſtatis, ſed in haſtatos tantum, rariùs contra ſclopettarios cataphractos. Ad loca vero & tempora, & hoſtem adeo ipſum accommodanda militia eſt, vt quanto de Turcis relatæ victoriæ fructus eſſet vberior, tanto etiam vehementius ad ipſius debellandum omni ratione & modo contendamus principatum. Non namque morbi medicis potionibus, ſed morbis potiones attemperantur. Quod in Anglico, quem vocant, ſudore fuit vidiſſe, quem nouis remedijs adinuentis poſteriores medici ſuſtulerunt. Quantum vero ad peditatum attinet, cum de equitatu ſatis ſit dictum, ſuadeo ex agris, quàm oppidis; ex montanis quam planis locis potiùs deligẽdum. Obfirmat enim in militia animum, expertem fuiſſe deliciarum, & in mõtanis naſci ſtimulus eſt induſtriæ; nam ingenij venter præſtat ſe doctorem. Vnde Carolus V. ex comitatu Tyro-

Tyrolensi peditatum Germanicum iure laudabat; nec scio si non propterea Ferdinando fratri ex partitione opinione tardius restituebat. Vestiat vero & alatur idem peditatus benè, otietur nunquam, sub disciplina viuat, laboribus assuescat, & in continuo armorum vsu exercitioque versetur. Sed nec nobilioribus mereri stipendia inter viliores sit probro. Qua vna re pedestris Germanica militia, quæ sub Carolo V. viguit, vilescere cœpit, & ad alias gentes ac nationes eius gloria auolauit, cum interim certissimum sit, regna & imperia multum quidem equitatu, sed non minus iuuari etiam peditatu, qui omni loco omni tempore, omni denique cum hoste confligit; sustentatur paruo; non ægre caret equo qui vt bonus fuerit, non peræque semper nanciscitur parem sessorem. Atque hæc quidem de vera & recta contra Turcas militia, quæ dicerem, habui; cum quibus falsis pacificationibus, quid nos, nostrosque frustra deci-

decipimus ? Quid in media flamma otium & quietem amplius expectamus ? Audendo & agendo res Romana creuit;nostra vero tergiuersando tātum non interijt:cur hostem perfidum & insidiosum coniunctim omnes armis non petimus ? cur ab impio pietatē,à sacrilego iurisiurandi religionem expectamus ? Bellandum bellandum cum eo hoste est, qui,debellatus si non fuerit,profecto contra Christianos nunquam quiescet. Non est ea,quæ existimatur,Turcæ potentia , certum illud confirmatumque est, quod Strassius Polonus Turcicus aiebat Aulicus, Turcicum imperium magno cuidam vitro videri simile, quod multos in admirationem sui raperet,sed paulo momento, si tempestas ingrueret, frangeretur. Magna pars Turcici exercitus milite constat tumultuario: vt,quod de Germanicis pedestribus copijs, quod vrbium purgamenta,hoc & de Turcicis, quod Asiatica excrementa sint, haud falso diceretur. Nulla iu-

risiurandi religione Turcicus miles adactus est, nullo certo stipendio conductus, mente leuissima, corpore laboris impatientissimo, animò à virtute alienissimo; prædam, non victoriam sequitur, rastris, quã castris dignior iudicatur; non expectata amissione fugam arripit, ordinem in acie non seruat; disciplinam odit; æquitatem nescit; latro & siccarius, quàm miles & bellator verius appellandus: contra quem si firma & exercitata fuisset militia, non esset dubitandum vinci potius, quàm vincere cũ potuisse. Sed cum nihilominus serò quam numquam sapere semper præstiterit ad has similesque, quas dixi, cõtributiones, & exactiones tandem aliquando generatim veniatur, quas secundo populo, non modo obtentu nõ incredibiles, verum etiam faciles futuras spero, opto quidẽ certe. Quæ si non sufficerent, numerus & ratio exigendæ pecuniæ augeatur, & veterum exempla conquirendi in vsus bellicos æris, cum necessitas vr-

serit,

aliquid pro Sociorum salute contribuere, quàm à Barbaro hoste, & iuris diuini humanique prædone facultatibus, quæ essent, spoliari vniuersis. Dant, qui viciniores sunt Turcis, aliorum Principum subiecti quàm plurima, quid non darent remotiores aliquid ex prouentibus, quibus abundant annuatim? Vt alias in vsum belli Turcici adinuentiones, quæ fieri possent, & deberent, taceamus, præsertim cum salus, & honos agatur Christianorum omnium, & nulla sit fides, & firmitas in amicitia Barbarorum, nemo certè dubitat, olim, minori necessitate vrgente, vbi tum, nec corporis, nec animæ agebatur salus pro Repub. iuuanda, multos multa fecisse, & bellorum gerendorum, ac conficiendorum exempla memorabilia reliquisse. Quid enim? An Augustus Cæsar, quoties indigebat milite, seruos non manumittebat? An M. Antonius, ne tributis imperandis populo fieret grauior, supellectilem domesticam in stipendia mili-

tum non diuendebat? An Vespasianus, vel minimi delicti Quæstores reos graui ære non mulctabat, & rursus mulctatos ijsdem muneribus præficiebat? Quod & Vitoldum magnum Lithuaniæ Ducem memorant factitasse. Boni enim lucri bonus est odor, aiebat nescio quis, & præfectis, ac Quæstoribus, tamquam spongia vti vtile est pro tempore, quod de eodem illo Vespasiano antiquitus dicebatur. Non temere enim Sigismundo I. Poloniæ Regi Stancik suaserit histrio, vt ageret ipse Quæstorem, si nollet, quærenda re necessaria, non necessarium ferre laborem: tractatũ enim sæpius æs, res & opes auget familiares. Age verò videamus, num hodie idem, aut huic simile fieret aliquid, & seruorum loco, qui apud Romanos manumittebantur, capitis damnati ad onus fossorium, vel alios aliquos in vrbibus, aut exercitibus vsus destinarentur; pro vendita antiquitus suorum supellectili, sumtus cupiditatum minue-

nuerentur, & in bellicos vſus potius conferrentur; pro præfectis mulctandis omnia pecuniariæ mulctæ genera contra barbaros conuerterentur. Qui profectò pacem cupit, bellum meditetur. Qui vult periculum euitare ſeruitutis, potius æris, quàm iacturam patiatur libertatis. arma expediat, militem alat, caſtrenſi diſciplina iuuentutem imbuat. Nam belli proſperos exitus non caſus, ſed artes; non quando hoſtis cupit, ſed quando commodum tibi fuerit, præliando conſequere. Vix te laceſſiuerit hoſtis, ſi vigilantem, & arma tractantem perpetuò intellexerit. Mox autem vt oculos deieceris, vulnus accipies, & hoſtem magis prouidum, & animatum in te experiere. Ac denique, cum rebus potiſſimum tribus bello adminiſtrando ſit opus: viris, pecunia, & commeatu, dabit pro ſe quiſque Principum operam, vt non tam ijs, qui ambiunt, quam ijs, qui munera refugiunt, exercitus in expeditionem du-

cendi,& regendi committantur. Multi non tam virtute sua, quàm aliena commendantur ignauia; bellis autem administrandis non spem, sed rem expedierit sectari, cum errores bellici morte constet, aut ignominia sempiterna. Ducibus postremo exercituum eligendis aliquid generi, sed ferè omnia tribuenda sunt industriæ, atque virtuti. Nam sicut non ex genere, sed ex arte, & scientia gubernandi, naui aliquem præficias; ita & exercitui Imperatorem. Quid quòd libenter nemo ei paruerit, salutemq; suam crediderit, à quo suspicatur se fore pessundandum; nec vllam auctoritatem apud inferiores habet, qui est ipse vsu, & intelligentia rerum alijs inferior? Qua nō nisi prius parta, si diffluxerit luxuria miles, ab Imperatore liberè coerceatur; si præfectus incubuerit auaritiæ, amoueatur; si exercitus laborum, & vigiliarum fuerit impatiens, exerceatur. Sanè non nisi multa perpetiendo,& continuis laboribus,ac vigilijs

ani-

animum, corpusque exercendo, ſupe randis hoſtibus idonei milites efficiuntur. Quibus poſteà pecunia, & commeatus non deſit; quo fraudãdo ij, qui eius curam habent, diteſcunt, & milites ad mendicitatem redigũt: neque tum primũ, cum neceſſitas ingruerit, ſed multò etiam ante cõmeatus diſquiratur, diſquiſitus moderatè diuidatur, diuiſus parce conſumatur, quod ſuperfuerat ſeruetur, & cuſtodiatur. Nã vt turpe eſt militem in caſtris luxuriari, ita in morbos incidere inopia pecuniæ, & commeatus, eſt periculoſiſſimũ, cuius tãta inter Germanos requiritur copia, vt quaſi incredibile ſit, vno in loco diu exercitũ poſſe ſuſtentari. Quomodo Turcarum tyranno tam potenti, eiusque exercitui vigilanti, induſtrio, ſobrio reſiſtere queat, viderit. Oportet quidem prius viciſſe ſe eum, qui alterius velit agere victorem. Sed nos à propoſito non longè digrediamur. Ac vt tributa in bellum Turcicum in commune neceſſario conferenda eſſe

dixi: sic rursus confirmo, ijsdem tributis sciscendis, augendisque vectigalibus, ciuilium facultatum, regionum, vrbiũ, & oppidorũ obseruandũ discrimen. Nam quorsum fuerit imperandis idẽtidem pecunijs grauem esse, qui per se volubilis est, populo; & elicere sanguinem, nimium (quod aiunt) lambendo? Multum differt agrorum iugera numerare, & vicissim expendere ipsorum bonitatem. Quam multi, & magni reperiuntur agri, qui non tam cultione, quàm natura sunt præstantissimi, & quàm rursus infiniti, qui quantumuis licet accuratius subigantur, alijs numquam responderint? Quid? quam regiones plures, melle bonitate, lignis, armẽtis, pastionibus sũt refertæ quæ & iugerũ amplitudine, & piscosis fluminibus, & commoditate portuũ, & varietate negotiationum multis alijs antecellunt? Ab his tu par tributum, æqua lance rationes exposcas vectigalium? Spatia terræ, prouentus frugum, iugera agrorum, com-

commoditatem non inspicias portuum, & fertilitatem, vel secus, quarumlibet regionum? Age, an non præstiterit multò etiam antè, quàm ad hanc dimensionem agrorum veniatur, certa ratione, & præstanti virtute, ac prudẽtia, eligere aliquos, qui omnes omnium prouentus exactè peruestigarent; & tàm eos, qui ex reditu pecuniario, quàm qui ex ruribus, & prædijs fructus percipiuntur, minutatim conscriberent, conscriptos in tabulas referrent, relatos in publicis conuentibus proponerent, propositos vniuersi approbarent? Tunc enim demùm rectius feruntur, & semel latæ vim suã obtinuerint leges, cum ad eas bonorum iudicia, & non modò ordinum, sed hominum omnium accesserint voluntates: à quo nimirum censu, nemo vmquam quouis tempore, aut occasione liber; nemo exemptus fieret; nemo excusatione inscientiæ; nemo caritate annonæ; nemo publico obeundo munere, aut legatione se exciperet: ne-

mo se ab alijs quouis modo, aut colore quæsito, segregaret. Par namque est, eos, qui in Repub. domicilijs sunt communibus, participes esse communium onerum, & contributionum. Qua quidem ratione pendendi, & exigendi tributa semel stabilita, tam ab eo, qui prouentus æstimare, quàm ab illo, qui ab æstimatis aliquid soluere deberet, difficulter Respub. fraudaretur. Quoties secus accideret, in illorum vtrumque statueretur exemplum, & pars mulctæ vna cederet ærario publico, altera quadruplatori. Nauanda quippe opera, mercede homines inuitantur. Atque ita nimirum, quod dictũ est ante, si vel à singulis prouentuum annorum centenis in vsum belli Turcici vnus penderetur. Num per totum Christianum orbem satis adhuc magna an non colligeretur pecunia, quæ diligenter à Quæstoribus &, bona fide exacta, diligẽter custodita, belli Ducum consilio scienter distributa sacræ cuiusdam militiæ offici-

officinam in eos constitueret, quæ ipsorum sociorumque coniuges, liberos, fortunas domicilia, & libertatem sartam tectamque in perpetuum conseruaret. Etenim quod quidam generales, quas vocant, expeditiones bellicas contra hostium impetus maioris momenti fore existimãt, vehementer errant. Neque illud verum est, quod tantus in aliquibus regnis sit, quantus vulgo existimatur, tam peditatus, quàm etiam equitatus. Omnibus quidem bellatoribus, vt plerumque accidit, hoc exitio maximo fuit, quod plures semper in catalogo, quàm in acie militum eorum numerus, cum ad rem ventum fuerat, spectabatur. Sed fac infinitam, etiã multitudinem posse coadunari, non plus certè externis hostibus, quã suis calamitatum inuritur ea ciuibus. Vt taceam, quanti in his expeditionibus excitentur motus, & domestica seditiones, quod olim ad Pastum in Hungaria, & ad Leopolim in Polonia fuit vidisse, vt Hispanico-

rum, in Sicilia, & Belgia militum seditiones prætereantur. Nihil enim armata multitudine temerarium, & insolens est magis, si aut arte aliqua diuisa, aut vi aperta oppressa non fuerit: Cuius adeo maleficia impunita, congerie scelerum, interitu regnorum, & prouinciarum diuinitus castigantur. Vbi enim Magistratus nequiuerit, aut noluerit, ibi Deus incipit castigandis malis vim suæ exercere æquitatis. Verum vt expeditiones etiam istæ, quod rarissimè tamen fit, omnium sint pacatissimæ, quàm ægre obsecro in comitijs decernuntur, quàm cum periculo in cãpum educuntur, & quanto cum dispendio non modo ordinum, sed hominum omnium extrahuntur? vt non nemo malit dimidium prouentuum suorum partem Reipub. dare, & illo onere leuari militiæ obeundæ. Nam si imperandis tributis habenda comitia sunt, quid bellica expeditione generali totius regni decernenda? Et si comitia constant magno, bellicæ expedi-

peditiones maximo. Quamquam, & illæ quidem contributiones decretæ non ita exigi solent, vt debent, neque ab omnibus peræq; penduntur, neque ad eos semper vsus, ad quos destinatæ fuerint, conuertuntur. Multorum enim manus, qui æs publicũ exigunt, & tractant, & principum ipsorum sumptuum cupiditates infidæ sunt custodes vectigalium publicorum. Hæc autem ita dicta sint, vt omnia suo fiant tempore, ordine, & certa præscripta ratione, locis certis, in quibus commeatus paruo emi posset, præuisis, & vbi tuto seruaretur communitis: quo eodem illo commeatu militi distributo, eadem ferè illa pecunia, quæ in stipendia militum erogatur, vestibus, & alijs mercibus, & tàm esculentis, quàm poculentis in exercitu vendendis rursus recuperaretur. Minor interim in tanta crebritate comitiorum, quæ vel maximè pecunijs ab ordinibus impetrandis coguntur, iactura esset temporis, minor valetudinis, minor fortunarum, & faculta-

tis. Iam nec precari quidam Reges petendis à subiectis pecunijs forsitan dicerentur, nec turpes artes in comitijs exercerentur, non dignitates Sacerdotiæ, & præfecturæ venderentur, quas quando principes præter meritum alicui concedunt, etiam homines nihili eijsdem petendis molestiã sibi exhiberi faciunt, & suæ ac Reip. detrahunt dignitati. Etenim non honores hominibus, sed homines honoribus sunt exquirendi. Age, an milites semel in stipendium conducti, & ex tali Reipub. ærario solutionis suæ perpetuò certi, præfectis suis non pa rerent alacrius? suo contenti non essent stipendio? quærelæ, & imprecationes eorum num amplius audirentur? cum milite precario, & cum coloni, & id generis ab ipsis diuexantur? Nam non multo aliter, quàm carbones, habent se milites, cum aut adurunt, aut turpant, quod attrectant. Nec mea quidem sententia aliquid est Duci infelicius, quàm nũc cum alio, nunc cum milite tyrone, &

parum

parum experiẽte in castris excubare, qui longè, lateque pulsata tympana parua lucelli spe vix galeam, aut clypeũ nactus militatum secũ fert, iuris illius nigri, si Deo placet, nimirum Lacedemoniorũ aut aliorũ esculento rũdesiderio captus, & mox militieper tersus, quod à plerisq; nationibus, cũ nomina dederint, videmus factitatũ. Vnde hostis, qui in omnes occasiones est intentissimus, spiritu augetur: nos autem, nostraque omnia ope & honore destituuntur. Hoc autem nescio si fieret, cum omnia bella, & bellici sumptus, ac ttibuta suó ordine, & tempore certo, ac stabili ratione, & consilio maturè præpararentur. Nefas enim est, ingruentibus bellis, cum sumptus in ea debebant esse certi, & parati, tum primum de illis conquirendis cogitare. Pacatum tempus magister sit prouidus auertendæ impendentis tempestatis. Nam quod quidam, bello Turcico cõtra nos instante, pecuniam multam ab ordinibus extorqueri, & eius pendendæ rationes

tiones plures excogitari posse autumant, toto cælo proculdubio errant, Nam in bello rumores vulgi, & sapientum consilia peræque audiuntur. Et quantumuis multi consilia præstiterint, periculis se obijci, quãpaucissimi patiũtur. Ac nihil tum profecto iuuat præteritos errores exaggerauisse, aut etiam doluisse. Nã, vt impiè, non, indoctè tamen profanus ille auctor vt ad suos non votis, neq; muliebribus supplicijs Dei auxilia inquit parantur. Vigilando, agendo, bene cõsulendo, prospere omnia cedũt, vbi socordiæ, atq; ignauiæ te tradideris, frustra Deum implores, iratũ, infestumq; habebis. Quæ cũ ita sint, & cũ negligentia quã diligentia multo laboriosior semper & vbique habeatur, non est quòd aliquis inerti confidat otio, sed potius armorum incumbat negotio, cum ad eum modum imperata, exacta, & distributa pecunia, non solum miles in stipendiũ conduci, sed & arces ac munitiones nouæ erigi, & veteres restaurari, &

alia

alia multa, & magna opportune cõfici posse videantur; necnon & prosem inata in aliquibus regnis, & prouinciis familia, viatico ex publico suppeditato, in hostem duci, ad domicilia in alieno etiam agro figenda, & confinia patriæ proferenda. Frustra enim tuetur aliquis sua, si etiam non infestauerit aliquando aliena. Quos se, suosque defendendi artes, & partes, si princeps non susceperit, tandẽ apud suos vilescit, & ab hoste calamitate sæpius accipienda tuta etiam postea extimescit. Nam id habet ignauus lucri, vt rebus suis perpetuo diffidat, & præ desperatione tandem marcescat. Quod de Cæsare illo Venceslao, ignauo dicto, apud Bohemos legimus, & audimus. Sed quotus quisque est, qui mature dispiciat, se eorum, quorum exempla sequitur, exitũ etiam sortiturum? spes semper habet aliquid uiriditatis; alit, sed fallit tandẽ postremo. An non præstaret nostra capita domi censeri, quã foris à barbaris detruncari? Sed mis-

sa hæc faciamus. Reperirentur enim haud dubie & plura, quæ huic bello in Turcas vsui essent gerendo, & conficiendo. Verum faxit Deus Opt. Max. vt vel hæc pauca tantummodo amplectamur. Prudentia quidem, à prouidendo dicta, hoc à nobis postulauerit; vt aliqua non modica pecunia in vsus belli Turcici semel collata, miles in stipendium conducatur, &, tamquam cautor periculis, opportunis in locis, & stationibus collocetur. Quod si ab omnibus omnium nominum, & condicionum gentibus id impetrari nequit, saltem ab aliquibus, opinor, obtinebitur, & fiat vtique eius rei periculum aliquando; qui enim non inceperit, nec terminauerit cogitata, & interim vrbi, & orbi, quis, & qualis fuerit, & Reipubl. quam bene cupierit patefiet. Multi multorum regnorum, quos vocant sunt sculteti, qui aliquo huic bello essent vsui duplo plures electi. Pedites item ex facultatibus regalibus esset augẽdi, necnõ quarta pars

bono-

bonorum regalium, duplo maior decernenda, Principum feudalium auxilia cogenda, & nunc hæc, nunc illa perficienda. ac denique capita Iudæorum geminatis exactionibus censenda. Nam ex multis etiam modicis simul coadunatis fit tandem aceruus opinione grandior pecuniarũ. sed expedit manum, quod aiunt, admouere operi, & ab infido hoste fidem inmedijs turbis quietem frustra sibi est polliceri. Interim etiã Pon. Max. qua pietate, qua sanctimonia, quo deniq; in Turcas debellandos est animo, atque studio inflammatus, pro concione ad pia pro nomine Iesu capienda arma populum patietur animari. Vt nemo, qui Christianus esse, & haberi velit, otiosum spectatorem alienæ calamitatis se præbeat, nemo in Turcas belligerandi occasionis tarditatem aliam expectet, nemo suam sociorumq; salutẽ prodat, nemo Christi, & eius crucis hostes, capitis etiam periculo debellare, si saluus esse velit, extimescat. Profecto nemo tam reperiretur

riretur excors; nemo tam inimicus publicæ salutis, & suæ, vt mortem quam debet naturæ non potius reddat patriæ, & in cælum statuat sibi viam inuiã quam videt salutis, hostibus potius quam sociis indulgendo. Legimus, olim Vrbanũ II. Pont. Max. Concilio Claromonti habito, multa Crucesignatorum millia coegisse, & ad recuperandam terram Sanctam in Asiam immisisse. Quam à Christianis octoginta annis possessam, rursus eorum discordia perdidit. Quid & hodie simile aliquid nõ fieret? Quid Christianis illis dissimiles essemus? Quid maternum vigorẽ in nobis nõdum desijsse non ostenderemus? Habemus tot tantosque principes nunc Christianissimos, nunc Catholicos, nunc fidei defensores appellatos. Qui eorum vires, & potentia defuerit Reipub. qui sibi, suisque dissimiles sint nominibus? qui maiorũ suorum contrariis vtantur artibus? qui perdi tam Rempub. cupiant? qui Turcicam seruitutem seruiant? qui se, suaque

omnia

omnia pro Christo, & religione vouere, & offerre vereantur? Quorsum illis fuerint arma? quorsum armamentaria? quorsum opes, & vectigalia? Quorsum Christianis gentibus & nationibus nobilitas? quorsum militaris virtus? quorsum ingeniorum præstantia, si tandem postremo clari, & nobiles ab obscuris, & egentibus, industrij, & militares ab imbellibus, culti, & elegantes à barbaris, & agrestibus subigētur? Iactabimus credo Euangelium, quo nihil est diuinius; ostentabimus libertatem, qua nihil est speciosius; commemorabimus nostras opes, & dignitatem, qua nihil est illustrius, & interim tamē Alcoranum, rē fœdā, & impiā volentes nolentes discemus, Christū, & religionem nostrā abnegabimus? in patriæ libertatis obliuionem, quæ auro pretiosior fuerit, necessario veniemus? & qui ad gloriam, & amplitudinem nati, & educti sumus, vilibus mancipiis seruiemus? O turpē notam morum, temporumque nostrorum: O misera-

 bilem

bilem, & deteſtandam condicionem ſeruitutis. Quid nobis tunc proderũt gladij? quid bombardæ? quid cuniculorum fodiendorum artes? quid tot, tantæque officinæ, & inuentiones noſtræ militares? Equidem nunquam non libenter fateor, verum nos quidem ſemper, & vnũ coluiſse Deũ Opt. Max. ſed ſceleribus noſtris iam feciſſe nos eum prorſus à nobis alienum. Quid ita? Quia crux quidem Ieſu Chriſti apud nos circumfertur, ſed nomen, & numen ipſius blaſphematur; bonam religionem habemus, ſed peſsimis moribus aſſueſcimus; arma optima induimus, ſed otio, & deliciis corpus eneruamus; ſolerter caſtra metamur, ſed in iis bacchanalia celebramus: trahimus denique quam ducimus magis in bellum imbellẽ militem, quẽ nunc canicula ſerior, nunc impetus aliquis interficit frigoris, & egeſtatis. Qui & ipſe numero eſt exiguus, volũtate perditus, caſtrẽſis diſciplinæ ignarus, exercitatione nullus, ſcelere, & turpitudine coopertus; contra·

tra quē myriades militum Turca nobis opponit. Quos habet victoriis senes factos, vsu & celeritate bellandi claros, frequentia triūphorum formidandos, in castris deponit, nos assumimus vitia: est vbiq; promptus expeditusq; semper, nos quamplurima impediunt. Turcicus miles ter interdiu numē adorat, noster die, noctuq; potat: illi nugarum in exercitu est nihil, nostros milites scorta, & pueri meritorij comitantur. Quid multa? propitio magis Deo Opt. Max. maioribus viribus, exercitatioribus militibus, prudentioribus ducibus, & quod summum est, melioribus denique moribus in Turcam fuerit opus, si volumus, vti Christianorum animi, & arma sibi inuicem infesta, nō sint tandē præ Turcicis multis exitialia, & funesta: quod nisi Deus prohibuerit, non modo incredibile, verumetiam facile erit visu, rebus non tam stantibus, quam iacentibus sociorum. Quod si hac omissa, qua male semper

per


per cesserunt res, alia conquiretur, & arripietur via, numquam in iuuẽtute militaria obsolescent studia: numquã in bellicos sumptus deficiet nos pecunia, numquam commeatus; nũquam sociorum deerunt nobis auxilia, & Christianorum nomen amabile, cunctis admirabile, hostibus reddetur formidabile ad omnem perpetuitatem. Ad eum denique modum omnes Italiæ, Siciliæque maritimæ oræ, barbarorum metu liberabuntur. Sic Adriaticum, Tuscũ, Ligusticum, Gallicum, & Hispanicum mare, & omnes sinus ac portus a prædonibus infestati conquiescent. Sic Alligeriũ asylum latrocinij, piratarum receptaculum, captiuorum equuleus, Tunetum, & Tripolis deserentur. Sic Rodij, Tyrij, & Alexandrini classiarij dilabentur. Sic nulla ex Epyro, ex Illyrico manebunt nos pericula; sic Italiæ, ex Græcia, Hispaniæ, ex Numidia; ab Africo vna ex parte littore Galliæ. Sic ex Scithia; & ex Valachia

Polo-


Poloniæ; ex Hungaria, Germaniæ nullum manebit diſcrimen. Sic Tyrannicum Turcicum imperium, ſi nõ latrocinium potius appellandum, aut mole ſua ruet, aut à Chriſtianis regibus, & principibus euertetur, modò hæc colligendæ, & diſtribuendæ in vſus bellicos pecuniæ ineatur, & continuatur ratio, ſiue adinuentio, & milites domi perpetuò exerceãtur, exercitati in opportunis locis diſponãtur, diſpoſiti tamquam cautores contra Turcas periculi alantur, & præmijs afficiantur; pœnis enim, & præmijs Reſpub. continetur. Quod Deus quidem faxit Opt. Max. Regum, & regnorum omnium cuſtos, & gubernator. Sed & nos nobis ne deſimus ipſi, præſentes fructus negligamus, appetitum rationi ſubijciamus, gloriæ & poſteritati ſeruiamus. Turpe, & funeſtum fuerat Græcis pecuniam, Cæſari primum in defenſionem Vrbis negatam, extrema euerſionis die ad pedes eius proieciſſe. Vtinam non

ſit,


ſit & alijs tot tantaſque inter ſe ſe-
ctas ſecaſſe, & ferendo contra Tur-
cas auxilio, num ea, quæ recupera-
rent, Cæſaris, vel Imperij eſſe debe-
rent, otioſe diſputaſſe.




Nec



LIBERTAS VERA PERIT IMMODERATA.





Non est dubium libertatem ciuium administram esse, fuisseq. semper æquitatis; cuius & nomen apud omnes pulchrum, & copiosus fructus, & res ipsa est salutaris; & quam non Christiani tãtum, sed & profani homines ideo coluerunt maximè, vt vno & æquabili iure cuncti in ea viuerent, & Reipub. dignitatem saluam tectamq. conser-

uarent. Verum huic quidem libertati adeo contermina est licentia, vt in primis sit aduertendum, ne ij, qui liberi esse & haberi volunt, licentiosi fiant, & in seruitutem tandem inuadant, sicut olim cecinit Poeta.

Libertas populi, qua regna correpent,
Libertate perit, cuius seruaueris umbram
Si quicquid iubeare velis.

Omnia quippe vitia, habent virtutis speciem, & nihil facilius concomitatur, quàm licentia, libertatem; sic vt nescio quis vltrò se legum seruum profiteri non dubitauerit, ne, ijs solutis, seruiret seruitutem. Sicuti namq; ille, qui diu velit esse senex, senem fieri maturè aiunt oportere; Sic & liberis populis pudore & reuerentia, quàm metu & horrore legum intra officij septa expedierit se continere. Abstrusa, inquis, hæc fuerit ratiocinatio. Quid si nec minimũ quidem, & exemplis propositis facillima intellectu? Quid enim? An

Persa-

Persarum imperium seruitute; Græcorum, immoderata non concidit libertate? quæ talis tantaque fuerat, vt libertate concionum, tanquam flabello seditionum, & motibus vulgi perpetuò agitaretur. Quod vt adeo etiam recentioribus probemus exemplis, superiorum temporum in Hungaria memoriam, si libet, repetamus; licet sine dolore id facere non queo; ac nec fortasse debeo. Est enim nefas insultare ijs, quibus ex vicinia & licētia socius poteris esse calamitatis.

Ad rem porrò vt veniā, & vt ea, quæ diu gesta sunt, breuiter perstringam. Constat Hungariam cum retroactis, tum maximè Matthiæ, Vladislai, & Ludouici regum temporibus, varijs motibus expositam fuisse, & conuentus quosdam celebrare consueuisse, qui inter Budam, & Pestum à Rakoscha villa quadā dicebantur. quibus nihil magis proprium & peculiare fuerat, quàm hunc exagitare hodie, illum postridie; & potētiores inuidia, imbecilliores potētia impedire. Quod

cũ multis perdurasset annis, populus, ceu quidã magister maximus, maiores indies spiritus assumebat, & nunc hos, nunc illos ad gubernacula regni temerè promouebat; quoad tan dem ad duo illa periculosissima interregna ventum est, in quo duo Casimiri Regis Poloni filij, Vladislaus & Albertus, & tandem etiam electus est Ioannes Sepusius, & Archidux Austriæ Ferdinandus. Cuius electionis occasione Solymanus Turca tandem à Sepusio euocatus in Hungariam venit, & non modo Taurino capto, Regeq. Hungariæ ad Mohacum cæso, & Buda direpta dominatus est, verum etiam omnia Hungariæ flumina, quæ potuit, classe enauigauit. Artis enim est, nullum respirandi spatium semel infestari da re cœptis, & nõ modo terra, sed etiã classe aduersarios oppugnare. Atque hæc de Hungaria tantum. Quid verò de regina prouinciarum Italia dixero? An istius vrbes atque principes, dum huic, & alteri operam suam ven-

venditant; dum potentiam iactant; dum tanquam in theatro spectandas se ostentant, in magnas angustias redactæ non sunt? An in varias & multiplices difficultates non inciderunt? Nihil enim diu floret, & qui alta petit, lapsus vix tandem assurgit. Quod in Arragonijs regni Neapolitani regibus, & Ludouico Sforzia Mora dicto, Mediolanensium Duce fuit videre. Nam Arragonij diuinitus, quod extirpandi essent, moniti resipiscere noluerunt; & Ludouicus Sforzia, qui arbitrum agebat Italiæ, decennali Lugdunensi carcere vsque ad mortem perpesso, sua scelera, expiauit. Vnde memorabile illud est, quod Reginæ Bonæ Sforziæ suæ filiæ Isabella Arragonia quondam donauerat, & hodie in Ecclesia ad Sãctum Ioãnem Varsauiæ asseruatur. (Lectione moueat fletum.) Quærendo namq. thesauro quidam Rex Arragoniæ librum forte inuenerat, in quo eorũ scelerum series, quæ Arragonij in regno Neapolitano patrauerant, &

quorum causa punitionẽ meruerant, continebatur. Ne igitur eius libri lectio moueret fletum, inuerso ordine liber est pictus, & in Poloniam tandem transmissus. Quarum vtinam prædictionum aliqui etiam alij memores hodie essent, & admodū dum, vt faciunt, securè illis non indormirent. Nihil enim diuinitus fit temere, & qui rationis expers non fuerit, pro re & occasione, sciet se suosque illis monere. Iam verò quid de Germania, Bohemiaque loquar? nisi quod expetita illa libertas pessimè ijs cesserit; & turdis (quod aiunt) sua sibi excrementa exitio fuerint? Quo loco nauem aliquam, cuius, & Reipublicæ magna est similitudo, non tempestate iactari videamus? An enim si à remigibus, nauclero remoto, vel nauclerus ipse, reiecto clauo, in naui nauigaret, & cæli, sydeꝛumq. rationem nullam haberet, salutem ne tu vllam ibi sperares? & si quid nauigantibus accideret, vtrum ventis & tempestati, an vero ijs, qui

neglectis

neglectis, vel permutatis officijs nauem euertissent, id potius tribueres? Ad eum prorsus modum habet se & Respub. quam non casus, aut fortuna, sed ipsa gubernatio præpostera Regũ, aut cõtra Regem seditio Senatorum sæpe euertit. Non enim inclinationi temporum, sed vt accepta clades in exercitu Duci, sic & in Repub. omnis calamitas adscribitur Regi, aut in Regem seditioni populari. Fac enim vt Rex muneris obliuiscatur sui, vel populus in Regem gerat se intemperantius, & ordo ordini, plebs resistat magistratui; An tu metu & horrore pessima quæque euentura non circumspectes? Quæ ne nos maneant mala, nihil vmquam magis, quàm immoderatus vsus fugiendus est libertatis, qui efficit homines præsentibus nunquam esse contentos, sed nouas semper sectari & appetere res, specie quadam legum in Repub. tuendarum. Age enim, videamus, hæc vitiorum mater, & nutricula quorsum excreuerit licentia? Quot & quantæ reprehen

 siones;

ſiones? quot non audiuntur queri-
moniæ, vel ob neglectam, vel contra
leges ſibi vſurpatam Regis poteſtatē?
Quot & quā mordaces voces, & mul
tæ ac vehementes expoſtulationes?
Quot laudationes rerum tēporumq.
præteritorū? Quot & quanta auguria
malorū futurorum? Quibus veluti à
ſomno quodam princeps excitatus,
ea rurſus cogitat & agit, quæ vni qui-
dem parti, quàm alteri magis, ſed &
vtrique tandem magno ſunt exitio.
Magnum enim in ſubiectorum fide,
Regis eſt præſidium: Sed & ijs expe-
dierit animum regium ſibi habere
ſemper propenſum. Mutuis enim of-
ficijs res & regna efflorefcūt. Ac ne-
mo Regum miretur, multo autem mi
nus moleſtè ferat, in vitam, conſilia,
& actiones ſuus ſubiectos inquire-
re, & adeo etiam loqui aliquando li-
bere. Regium enim eſt munificum
eſſe, & à beneficiariis ingratum ani-
mum æquo animo ſuſtinere. Sola
hæc vulgo libertas eſt data, vt, cum
bene neſciat, male loquatur. Quod

& de coruo ferunt, qui cum secus nesciat, soleat crocitare. In Deo autem Opt. Max. & recte factorum conscientia Reges spem reponant suam, sterili regione magis pretiosam. Abigendis omnibus muscis vix suffecerit vnus, etiam plus quam Lynceus, aut Argus: Ac nec perfecta habuerit vnquam omnia, & nec illa quidem explete, quæ requiruntur in principe tria, ingenium, iudicium & exequendi facultatẽ. Etenim cum ingenij, inuenire; iudicij, discernere; exequi non magis in tua, quam in aliorum positum sit opera, priora quidem duo ad Regem, extremum pertinet ad ministrum. Quamquam & in illo ipso deligendo Regis requiritur iudicium: à cæcis namq; cæca omnia proficiscuntur. Qui curet quã maxime potest, officio suo vt satisfaciat, & vt non modo ingenium in inueniendo, sed etiam iudicium in discernendo habeat; & vt denique eos eligat; qui & vsu in aggrediendo, & celeritate in conficiendo nego-

 tio

tio semper vtantur. Vt enim medici propter hospitalia, sic Reges caussa populi, non illi Regum gratia eliguntur. Sed vt aliqua aliquando in re etiam errent, tolerandi fuerint. Non enim perfectissimis semper gubernacula committas, nec versuram peræque bonam facias; & sol vnus, Rexque suffecerit vnus, ne nouos, & inutiles principatus perpetuo experiamur. Nihil est difficilius, quàm assuescere ingenijs, & temperare sibi à vitijs crebro patratis. Sed iam ipsos sermones Rakoschianos audiamus, quibus oratores noui, stulti adolescentuli, tamquam in theatro ostentantes se, Rempub. perdiderunt. Expergiscimini, inquit, patres, & ne forte conscripti, circumscripti tandem sitis, videtote; vigiles, & custodes Reipub. vos ostendite, accisa regna, vectigalia in pristinum statum reuocate; & quod nec dici vestrum potest, in communionem temporum vltro conferte: colonis nostris, qui pecuniam imperetis, nisi cupiditati,

& auaritiæ vestræ prius imparaueritis? Recordamini, non libertate, sed tantum vos nobis superiores esse dignitate. cuius nos etiam capaces sumus, sed maiorum vestigiis insistimus, & non tam diuites, quam bene de repub. meriti esse, & dici exoptamus. Quibus quid alij vicissim responderint, longum esset cõmemorare. An enim seditiosos ciues, & sui patriæque suæ oblitos non vocabãt in alienis rebus curiosos, in suis cæcos? Quid quod nec Reip. causa illa eos afferre, nec vnquam attulisse, sed cupiditatis suæ tantummodo gratia, & quod hodie laudassent, id vituperare postridie obijcebant non sine nota & reprehẽsione leuitatis. Quarũ omnium rerũ & altercationũ causam si quæras, non aliam sane inuenias, quàm quod ad eum modum comparata est, semperque fuit licentia, vt in ea nemo sibi constare, nemo discipulus, sed magister esse, nemo subsequi, sed præire velit; vt verum illud sit, quod in prouerbij consue-

tudinem abijt, grauiorem esse tyrannidem multorum, quam vnius; & multa, quæ populus fecisset, tolerata, laudata quidem rarò aut numquam extitisse. Male enim quæras, secundo populo, obuloque, ornamenta, & præmia virtutis. Ac sicuti in humano corpore malis humoribus pleno, pristinæ restituendo sanitati, vel maxima quæque remedia nulli sunt vsui, si bona ratio uictus defuerit: sic nō nisi animaduersionis proficias seueritate in multitudine gubernanda. Multum enim præmijs, sed multo adhuc magis pœnis homines in officio continentur. Quod si idem licere, quod & libere alicui videatur, quæ ex hoc fonte incommoda manant, facile conijcitur, cum vel ante mille annos de illa re iam questum fuerit, quod delirus senex, & garrula anus, & patriæ suæ extorres de religionis nostræ mysterijs disceptauerint. Ac nunc tandem eò etiam est ventum, vt ab otiosis syllogismis, ad crudelissima certamina vtrimque

con-

cõcurratur;& hæc noua(si placet)religio irreligiosissimam viuendi inuexerit consuetudinem;adeoque etiam patrimonio Ecclesiæ perpetuæ insidiæ æstruantur,& verborum aucupia, ac literarum tendiculæ inserantur legibus; eædemque figantur & refigantur ad multorum exitium. Hæccine verò libertas est? hæccine iuris dicundi ratio?Hæccine sanctio? Hæccine legum & statutorum executio?vt adeo sub hoc magnifico libertatis titulo potẽtiores imbecilliores premant, rebus alienis vim inferant, stupra virginibus, iniuriã viciniori bus, manus quibus posśint inijciant omnibus;& tum nimirum in optima Repub. natos & educos se gloriẽtur? Quid ita? Quia videlicet talem prærogatiuam virium, talem rationem legum, talem indulgentiam sortiuntur sanctionum, vt,cum stupra, cædes,homicidia, & id genus alia scelera, aut nihil, aut quamleuiśsime puniant, potentiores in imbecilliores,diuites in pauperes,seditiosos in quie-

quietos arment ciues;vt non tã legũ, quã parietũ præsidio se suósq; tueantur. Egregias profectò leges,& cõmemorabiles sanctiones. Et quisquam dubitabit, non libertatis causa, sed bene viuendi gratia condi imperia; quæ quanto maiora fuerint,tanto magna libertate difficilius conseruantur? Quod vt volet dictum quis acceperit. Vetita vulgus quærit,sed metu, quàm pudore à peccando magis se auertit. Et denique quasi nesciamus hanc,de qua loquimur, libertatem,non paucorum, aut potentiorũ, sed omniũ, & adeo etiam imbecilliorum debere esse propriam,atque præcipuam,quæ non in agendi, quod cui libuit, licentia, aut vero indulgentia legum,sed in quadam animi posita est temperantia,cõmotionibus mentis sedandis,& populis in officio continendis. Quod enim maius fuerit mancipium, quàm quod improbissimo seruit domino? At quis deterior dominus, quàm animi perturbatio? Quæ igitur libertas, si hæc non fuerit

serui-

seruitus, subijci eius imperio? Omne quidem illud, quod consilio, & ratione vacat, consuetudinem inducit seruiendi. Iam verò moris est, indomitos equos cohibere frenis, & edomare calcaribus.. At quid nos ipsos etiam non cohibeamus? quid non frenemus? quid non scienter, & moderatè cum hominibus versemur? Quæ malorum ea est ratio, putare ideò Deum expertem esse, quòd non peccet, libertatis? Ergo & seruus erit qui magistratui obedientem se præstiterit. Velim sobrij hominis cogitationem quis suspiciat, & secum expendat, vtrùm nobilis, bilisue atræ potius fuerit id facere, quod non debeat, & demū deprecari apud eum culpam, quem offenderat. Nemo quidem nisi à seipso læditur, qui vero ab altero veniam petit, errasse se, & minorem illo esse proculdubio confitetur. Et quisquam dubitabit, non agendi, quod collibuerit, libertate, sed partim ob cultum, & ciuilitatem morum, partim ob frequentiam

inge-

ingeniorum, partim ob fortitudinis laudem, ac ſtudij militaris, vnam alteri nationem anteferri? Moratam ſanè decet Rempub. quam pauciſſimos eos, qui illam turpauerint, habuiſſe, cui pœnarum, & præmiorum recta diſtributione tranquillitas domi, foris in hoſtes laus, & victoria comparatur. Quo magis curandum eſt, ne, quibus maximè nititur fundamentis, pœnarum, & præmiorum cõtrarium efficiat diſſimilitudo. Hæc enim vera libertas eſt, in qua iuſto, & æquabili iudicio legum vniuerſi continentur; Quippe vna & conſtanti voce, non varia, & multiplici, lex cunctis loquitur, tum vetando, tum vero etiam imperando, ſic vt non temerè quidam dixerit, iudicum & medicorum officinas ſibi eſſe debere quamſimillimas. Nam ſicuti medicus, quoad morbum, vtrum æger dominus, an ſeruus; nobilis, an ignobilis ſit, non conſiderat, idem etiam puniendo faciat magiſtratus. Itaque olim Romani legiones decimare integras

tegras consueuerant, vt pœna ad pau cos, terror perueniret ad vniuersos. Quos tanto imperio diuinitus auctos censet ideo Augustinus, quod amatores fuerunt æquitatis. Contra vero, aliquos male audire videas, tum ob licentiam, tum ob indulgentiam legum aliquarum: cum furem perimant laqueo, & homicidam libe rum pronuncient, certo ære soluto; quasi minor iactura sit vitæ, quàm pecuniæ; & leges, quæ pacatioribus ferebantur temporibus, debeant durare ad omnem perpetuitatem. Quo iure, non tam generis, quàm sceleris; non tam nobilitatis, quàm immanitatis alicubi tantum cuique licere, quantum libuerit; tantum libere, quantum plus facultatis esse videtur; bubonibus nimirum, quã muscis, telas aranearũ perrũpere, & impunitate triũphare? Maiores.n.pisces deglu tiunt minores, & magis imbecilles opprimunt potentiores. Nam (vt citra iniuriam bonorum loquar) alicubi certè est moris, eos capi non permit-

tere,

tere, qui vel vllis possessionibus potiuntur. Quo fit vt nocentibus tot, sint effugia, quot causidicorum consilia; tot adiumenta, quot integumenta sententiæ, non iure, sed pretio describendæ. Dantur quippe inquisitiones, quæ vulgo appellantur scrutinia; corrumpuntur testes, & testimonia; litium controuersijs verborum inseruntur ancupia, & vel sceleratissimo cuique numquam defuerint patrocinia, vel in mala causa actorem, quod vocant, fatigandi; qui genere illustres, clientelis firmos, auctoritate pollentes contra se intuitus, tandem desperatione frangitur, & ius suum contra aduersarium non persequitur, immo scelus scelere in eum aliquando cumulatur. Quæ res cum quasi iusta, & legitima, magistratus etiam supremi auctoritate, aut saltem impunitate comprobetur, quid mirum, si nunc infamia, nunc etiam communi incendio diuinitus omnia castigantur? Quid mirum, si Reges, & Principes, qui alias extra inuidiã

fue-

fuerunt, nunc ea, vel maximè laborant,& præsens rerum ſtatus damnatur,nouus, & præpoſterus deſideratur? Quid mirum,ſi ſuæ quemque ſortis capit ſatietas, & defertur hoſpes, quò rapit tempeſtas? Quid mirum,ſi gubernatori clauus eripitur, & remigibus argonautica committitur? Quid mirum, ſi publicis opibus quidam abutantur,& non ianua, ſed pſeudotyro ad eas immittuntur? Quid mirum ſi religio profanatur, altare contra altare collocatur, ius, fas, æquitas,mos maiorum violatur? Quid mirum, ſi diuina vltio metuitur, ſi hoſtis barbarus, & impotens animo, & potentia in nos acuitur, ſi funus Reipubl. & calamitas maior adhuc expectatur? Profecto ſi, ob illatas Nabotho iniurias, cum coniuge, & liberis diuinitus exciſus eſt Achab, nos tot tantiſque patratis ſperauerimus meliora? Quid potius Niniuitas non ſequamur,numine diuinitatis placando, & quàm meriti ſumus pœnitentiam agendo, & cor-

da,

da,non veſtimenta noſtra diſcindendo? Licentia quo optatior ſingulis, eò funeſtior futura eſt vniuerſis. Tandem veniet tempus, & ſicuti in ſcopulis naufragium, ſic in duobus extremis ægre lapſus fugietur. Præſtat pœnitudine duci, quàm pœnam ipſam experiri; mutare velificationem, & conſilium, quàm nõ attingere portum; dare modicum, quàm multum; emendare ſemetipſum, quàm diuinitus in furore emendari; & denique non appetere illud faſtigium, ex quo præceps per decliuium delabare.





NIHIL AEQVALITATE INÆQVALIVS.





Roditvm est memoriæ, rerum dominam Romam, quæ, exactis Regibus, vnius abhorruit dominatum, cum, magno suo incommodo, plurium administrationem experta fuisset, ad vnum tandē Augustum Cæsarem imperium detulisse; qui post multas, & varias Agrippæ, & Mœcenatis inter se disceptationes, postremò illud suscepit, &

quàm

quàm diutiſſimè paccatiſſimeq; imperauit. Cuius rei exemplum in Polonicis etiam habemus hiſtoriis. Nam cùm Lechi defeciſſet poſteritas, primum quidem ad duodecim Palatinos; paulo poſt ad vnum illum Gracum delata ſunt gubernacula: quod ea forma maximè probaretur Reipubl. quæ & ſapientiam æmularetur diuinitatis,& inter alias duas, optimatum,& popularem,diutius conſeruaretur. Diuturnitas enim imperij, magnum argumẽtum eſt prudentiæ, & diuinæ erga homines voluntatis. Cum enim popularis ſtatus plerumque in licentiam,optimatum, in paucorum degeneret dominatum, ſola monarchia harum expers eſt rerum, ac periculorum. Quod apud Græcos in duobus,& quidem diuerſis videre fuit legiſlatoribus,quorum alter,nomine Lycurgus, gubernationis formis tribus inductis, ſeptingentorum annorum ſpatio Rempub. ſuam definiuit: alter,videlicet Solon,ſtatu populari inducto, Piſiſtratum patriæ

suæ vidit Tyrannum, antequam moreretur. Nihil enim, quod naturæ repugnat, fuerit firmum, aut etiam diuturnum. Quàm prouidam, & solertem rerum omnium magistram, si imitari libet, vt quidem vnum in apibus regem, in armentis ducem; & vel in inanimatis, in gemmis adamantem, inter metalla aurum, in syderibus excellere intuemur solem, sic & Reipub. vnum, quam plures præesse potius patiemur. Sicuti enim domus priuata aliqua vno patrefamilias; nauis, gubernatore; exercitus, duce; sic & Respub. vno eget gubernatore; cui quemadmodum medico salus, imperatori victoria, sic tranquillitas publica sit proposita. Vnde etiam olim difficillimis illis rebus, & temporibus, quando iam, vbi recurrendum esset, nesciebatur, ad vnum illum Romæ deferebantur omnia. Quod vel in aliis quoque gentibus, & nationibus fuit factitatum. Expedit enim multos audire, exaudire minus singulos; neque tam multitudinis, quàm

vnius rectè consulentis stare sententiæ,& morem gerere voluntati. Nam licet in consilijs multis multa salus esse dicatur; tamen & consilijs discernendis mirabilis requiritur intellectus, ne aliquando, pro pane, vtamur scorpione. Est enim valde lubricum, exquirere consilium eum, cuius pectoris angustiæ non admittunt iudicium, vnde vulgo contemptus,& irrisio comitatur. Secus interim de prudentibus Regibus principibusque est iudicandum, quod ipsum Darij,& aliorum Regum exempla testantur. Nam si auctoritatem scriptorum hac in parte spectaueris, omnes Oratores,Philosophi,Historici,& Poetæ idem proculdubio confitentur; & inter alios à Poetis regio nomine locus celebratur, quod nulla cuiusquã tanta sit auctoritas, quam regalis maiestas sinu suo non complectatur. Magnum enim onus honosque pariter est regalis dignitatis. quæ haud dubiè & altero illo diademate in cœlo augetur. Hinc & inau-

inaugurandis Regibus illud plerumque dicitur: Qui tibi maledixerit, maledicatur. Qui enim legitimi Regis restiterit imperio, haud ille & diuinæ paruerit potestati, quæ talis tãtaq. est, vt quale diuinum in mortales, tale ac tantũ Regis sit imperiũ in subiectos; & non minus vere, quàm false crebris sermonibus vsurpetur: Tyrannorum in nos potestatem videri quidem iustam, sed iniquam esse voluntatem. Etenim hostium opera hostibus alijs numen vtitur protegendis. Quod in illo Attila, qui flagellum, & Temurlano, qui iram Dei dicebant se esse, licuit cognouisse, vt præteream alios, quorum possem memorare quamplurimos. Plura enim distorti animi & ingenij, quàm exempla in Principibus fuerint probitatis. Quamquam illud est boni, quod sicuti pueri à parentibus castigati virgas in flammis, sic populi tragicos plerunque Tyrannorum, atque Tyrannidis exitus intueamur; Numquam enim centum

annis Tyrannis, & Tyrannus tredecim perdurauit. Quem tãto liberius Deus Opt. Max. castigauerit, quanto ad summa ab eo euectus, sui & illius obliuiscitur; & otio, non negotio; voluptati non dignitati ancillatur. Quinquenniũ nãq. Neronis laudatur, at tota vita & exitus Neronis eiusq; similium vituperatur. Quid namque aliud fuerit Rex, quàm populi Rector, qui iuris, & iustitiæ æquabilitate primum quidem se, deinde & vincit alios ad bene honesteque viuẽdum; quo errante, sicuti defectu Solis orbem terrarum, sic turbari oportet regnum, ordinesque regnorũ? Facilius enim à fatuis puteo lapides inijciuntur, quàm à sapientissimo quoque eximuntur. Exemplum desideras? En in promptu fuerit. Ferunt Yringum herbam esse, quàm si caprarum aliquà in os acceperit, non modo ipsa sistitur, sed & reliquus quoque grex ad vlterius progrediẽdum obfirmatur. Ad eum vero modum habet se & Rex in Republ. qui

i per ipsũ se, quid facto opus sit, nõ
viderit, næ haud & consiliarij visu-
ri, aut saltem non tantopere curatu-
ri. Vt enim capiendis anguillis a-
quas mutari, sic & Rempublica cõ-
modis suis velificando multi cupiũt
perturbari. Quod si inops consilij
Rex ipse fuerit, perpetuis laborabit
suspicionibus, quæ imbecillitatis in-
tellectus sunt argumentum; & timẽ-
dum, ne, si possit, tyrannidem tan-
dem exerceat; cum timidorum no-
bilitata maxime fuerit crudelitas.
Præuenire enim, quàm præueniri po-
tius volunt, & semel sanguine fuso
nullum finem faciũt effundendi. Age
porrò, quando ex alieno nutu Rex
pendet, an non cogitatione fluctuat,
& num bene aliquid, vel secus fecerit
incertus, tanquam hospes tempesta-
te rapitur, & angore animi plerum-
que cruciatur? Si præceps est, ruit; si
negligens, deserit; si sibi fidit, fallit,
& fallitur; si stupidus, circumscribi-
tur; si morosus, est odiosus; si ver-
bosus, vanus; si taciturnus, suspectus;

& quid non eiusmodi? sic vt in labo-
riosa gubernatione Reipubl. non tam
quidem prudentiæ perspicuitate,
quàm diuinitus profecta felicitate
sit opus. Frustra enim animi corpo-
risque sunt vires, si numen gubernan-
tibus defuerit diuinitatis. Quibus vt
consiliarios fidos, & intelligentes
habere expedit, sic eligendis ipsis iu-
dicium requiritur. Quis enim tibi
polliceatur, eum, à quo consilium
petis, bonum & fidele consilium per-
petuo præstiturum? Dies succedit
diei, & consiliarius similis est nunc
in hanc, nunc in illam partem inam-
bulanti. Rarus postremo, qui nō vti-
litatem suam, quàm Principis sui po-
tius spectauerit dignitatem; & qui
pariter & sciat, & possit, & velit in rē
consuluisse, cuius audire quidem
licet sententiā, sed intimi animi ex-
plorare sensa fuerit difficillimum.
Magnæ quippe latebræ & abstrusi re
cessus sunt animorum, & quod vete-
res etiam prodiderunt, nihil tam est
improbabile, quod non dicendo fiat
pro-

probabile ; & cum prudentem non corrumpas ære,hoc facias persuasione. Deniq.magna est habēdi sitis,præ qua & Regi,& ipsius nō sēper consulimus generi, & dignitati. Rarū fuit in Regē suū,exemplum fidei Hungarici cuiusdā Cancellarij, qui cū Vladislaū Hungariæ, & Bohemiæ Regē, Sigismundum minorē natu fratrē nō admodum splendide ad se venientē, moleste ferre animaduertisset: Visne, inquit, Rex, vt huic malo cito remedium afferamus? Fac vt omnia ea, quæ alicui per me petenti concedis, in fratris gratiam largiare. Omnibus ijs,quæ donabantur Cancellario, Regis fratri cedentibus; vidisses eum repente locupletari. Nec mirum: quo enim fauor inclinauerit se principum, eo & munera obsequiaque indigentium. Sed missa hæc faciamus. Illud quidem certum definitumq. esto,Regem, & principē quemlibet cautum esse debere, opibus, & muneribus publicis ad aliorum preces,vel postulata distribuendis.

dis: Etenim multi multorum beneficijs Regum, conciliant sibi vulgo beneuolentiam, quam vnis illis rebus referri par erat acceptam. Quid? dubitabis id, quod semel in deliberationem cadit, diu latere posse, aut vnquam potuisse? Quocirca & huic rei prouidendum est, ac non nisi consiliarij eligendi ij, qui sint secretissimi, & eorum numerus, quoad eius fieri magis potest, restringendus, ne conscientia multorum infida custos sit taciturnitatis, & ne longis eorum declamationibus, & temporis, & iactura fiat veritatis. Veneti hac in parte laudantur, qui non tam rogati sententiam dicunt, quàm alia ratione suffragia sua declarant. Plures magis videri, quàm esse eloquentes cupiunt, & antequam dicendi faciãt finem, eorum, quæ initio protulerant, sæpè veniunt in obliuionem. Pulchrè Solymanus Turca diuersim purpuratos suos sententiam dicere volebat; & de quibus deliberaturus erat, nomina rerum, & personarum sup-

ſupprimebat, poſtero die conuocatis, rem aperiebat, & ſi quis fortè ſibi non conſtitiſſet, obiurgabat. Eſt ergo & conſiliarius aliquando vtilis, & eius delectus vtilior; & Rex ipſe tanto ſplendidior, quanto doctorum & intelligentium hominum corona magis fuerit circumſeptus. Nã & Deus quidem ipſe Opt. Max. ſine cuiuſdam conſilio vidiſſe & præſciuiſſe, & adeo omnia poterat perfeciſſe: nihilominus tamen, poſt ædificationem turris Babel, in veteri lege, inquit: Deſcendamus, & videamus; & in noua ſuorum exquirit conſilia, multitudinem illam cupiens ſaturare. Quod non alia de cauſa fecit, quàm vt illius actio noſtra eſſet inſtructio; & vt ſciremus, neminem, qui conſilium petit, eo, à quo petit, eſſe inferiorem. Quinimmò vt in ſyderibus ſolem, ſic inter conſiliarios ſplendere principẽ, perſpiciendis, quo tendant, conſilijs, acrimonia intellectus. Qui quemadmodum ſupremum illud venerabitur numen, ita habebit proculdubio &

nomen prudentiæ,& pietatis. Nã fortiores cœlitũ ministros Regibus habet nemo; & vix aliquis eũ infestare audet, quem diuinitati scit commẽdatum. Quò magis pietatem Rex colat; & nihil assimulatum in pectore gerere se ostendat. Manent assimulatam pietatem grauiores pœnæ; & fictæ res non sunt diuturnæ. Quod vel inde cognoscas maximè; si, quis Deum, quem non videt; amare se dixerit, idem ille nõ dilexerit proximum, quem quotidie intuetur. Hæc enim lex diuina est, vt non modo amicis semper bene, sed & ipsis etiam hostibus nostris male nunquã faciamus. Linquat autem ante omnia verbosam illam,& rerum dominã sectetur sapientiam. Nam nutu respondent, quàm oratione magis principes; & temeritate ac negligentia vacare debent eorum actiones, propterea quod temeritas rationis est hostis, negligentia, occasione amissa, alterius expectat tarditatẽ. Occasiones autem bene gerendæ rei of-

offeruntur raro, & amiſsæ reuertuntur ſero. Idem etiam Rex liberalis, beneficuſque ſit, cũ libertate & munificentia, veluti quibuſdam alis, in cœlum vſque principes euehantur, necnon & fortitudine, quæ robur animi ſeruat, vndequaque muniatur. Nam nulla quidem re, quam fortitudine, & fœlicitate, maiori apud ſuos Rex eſt in auctoritate. Anima porrò auctoritas eſt gubernantis. Prodigum, non ſolum liberalem Regem vult eſſe Ariſtoteles. Sed vt frugalitas nõſit regia proprie cõmendatio, eſt quidem pro re & tẽpore diuitiarum cõſeruatrix, ſine quibus nihil dignũ feceris regio illo ſtatu & apparatu. Non enim tunc primũ, cum neceſſitas vrſerit, dę pecunia belli neruo cogitatur; ſed multo etiã ante cõquirẽda ſunt neceſſaria, ne illud aliquãdo dicamus: non putarã. Interim tamẽ ſui abſit obliuio, & vitetur ſemper illud ĩ rebus extremũ; & nihilominus tamẽ ſiue habeat, ſiue nõ habeat, Rex omnia referat ad liberalitatẽ. Diuinũ

 numen

numen, propter retributionem; & regale nomen, propter ſpem & metum perpetuo veneramur. Quibus quidem virtutum præſidijs, tãquam quibuſdã ſeptus mœnibus, omnia & ſingula præcepta regius imbibet animus, & ſtudiorum ſuorum finem, non in cõtemplatione, ſed in actione ſemper reponet. Regum enim maxime, non otioſa contemplatio, ſed virtutis perpetua debet eſſe exercitatio, à qua in Solem, & puluerem prodeatur: qualis nimirum Caroli V. ſummi illius fuit Imperatoris, qui cum à prandio in penitiora ſe retuliſſet ædium, cùm maxime ſolus, tùm minime videbatur ſolus, ſolis illis arcanis imperij cogitatione contemplandis. Nox enim, & quies amicæ ſunt deliberationis. Quam contemplationem ſic amarunt Reges, vt vel ille Dionyſius, magis tyrannus, quàm Rex dicendus, Platonis conſuetudo quid ſibi profuiſſet interrogatus, reſponderit, quod contemplando, & philoſophando æquius exilium poſ-

ſet

ſet pati. Vbique enim nos comitantur literæ, & in illis ſolis ſola_ eſt & ſolida firmitudo. Quo magis & Alexandrum filium ad vnam illã vnius Ariſtotelis conſuetudinem pater Philippus hortabatur, qui literarum tanto ardebat deſiderio, vt Iliadem Homeri pretioſiſſimo cuidam incluſerit ſcrinio, quod quadam victoria erat partum. Quippe multa_ magno, ſed ingeniorum monimenta debent æſtimari maximo. Quod & Alphonſus Arragoniæ, & Neapolis Rex, vno illo dicto ſuo teſtatus eſt, cũ Regem illiteratum aſinum diceret inauguratum. Reges enim donant poſſeſſiones, ſed ingenij ſibi vendicant laudationes; Quamobrem, vt vnde eſt orta, in eodem terminetur oratio mea; æqualitate inæqualius eſt nihil, præſertim in Republica gubernanda; in qua, ad naturam illuſtrem accedat oportet eruditio; & magna magnarum rerum experientia, quæ nec in otio, neque domi comparatur. Solum enim alienum,

colloquium senum, & varij ac infessi casus expoliunt intellectum. Ac verissimum illud fuerit; quod magister morum diuinus ille affirmabat Plato, tum demum beatas fore Respublicas, cum aut Philosophi eas regerent, aut rectores philosopharentur: Nam hi demum facilius doctis fauerent, eorumq. ingenia atque studia promouerent. Talem olim Carolum Magnum Imperatorem; talem patrum nostrorum memoria Franciscum I. Gallorum Regem fuisse accepimus, qui Budæo apud se peroranti decem millia aureum nummum dedit, & tot gymnasia ac Gymnasiarchas exornauit. Secus faciunt aliqui, qui, vt præ alijs sapere videantur, doctos & eruditos viros habent contēptui: iā vero nihil sit deterius, quàm cū lupus lupinā est, & doctus obtrectat docto, aut princeps consiliario; quando eo adulatore mauult vti, quā amico. Vetus autem est prouerbiū: hirundinem domi non recipiēdam; quod non aliūde dicitur esse natum,

 quàm

quàm quod hirundo prænuntia veris cicadam musis amicam soleat deuorare. Quod vitium cùm in omnibus, tùm maxime notatur in principibus, qui tales plerumq. apud posteritatem sunt, quales scriptores in vita habuerunt. Armis enim, & ingeniosis scriptis fama gentium principumq. propagatur. Quorum imperium, sicuti parentum in liberos, æquo animo feramus, & alijs gubernandæ Reipub. formis Monarchiam præferamus. Nam æqualitate inæqualius, & crebra ac subita mutatione nihil est periculosius. Et quisquã dubitabit, Monarchiam, vt ante diximus, non ita facile in tyrannidem degenerare, quàm aut optimatum statum in pauciorum potentiam, aut verè istam rursus in populi libertatẽ? Est enim ingenita omnibus ferè ambitio, populi autem ingenia aut humiliter seruiunt, aut superbè dominantur. Tutior, & tolerabilior vnus ille est princeps, præsertim qui diligi, quàm metui potius volet, cũ me-

tus

tus nunquam diuturnus magiſter ſit officij; beneuolentia autem ciuium ſeptum eſſe oporteat eum, qui dominatur. Nam vt hortis amœnis in ingreſſu delectamur, qui labyrinthi appellantur, ſecus, ſi celeriter fuerit ex ijs egrediendum: ita & violenta conſilia facilius inuenias, quàm exitum eorum perueſtiges. Sed age, progrediamur, & videamus, num recte ſit dictum, æqualitate inæqualius nihil eſſe, ſemperque fuiſſe. Nam ſi ad vnũ illum, qui alios regat, defertur imperium, an non libentius vni, quàm multis paremus? de quibus illud forte dictum eſt: Multi imperantes perdidere Cariam. An cupiditates eius, & perturbationes animi non facilius frenamus? An denique riualitatem, vt ita dicam, in vno, quàm in multis non potius deuitamus? Semper æmulatio eſt inter pares, & obſeruantiam requirunt ſuperiores. Fingunt quidam humani corporis mem bra (libet enim cauſa hominis ab eodem homine ſimilitudinem vſurpare)

re:) fingunt inquam; contra stomachum conspirasse, quod hic vnus præ alijs egeret pluribus, vnde iniuria quædam alijs etiam inferebatur. At ille rursus rationes suas ostendit, & sibi, non illis iniuriam fieri declarauit. Cum enim certa quadam inuidentia alia omnia membra necessarium cibum stomacho subtraxissent; languere omnia cœperunt, & ad illum ipsum stomachum necessario recurrerunt, vt cibum videlicet digereret, & tandem per sua loca transmitteret rectè digestum. Quod nisi factum fuisset, totum illud corpus languidũ & exangue proculdubio cõcidisset. Quæ eadem ipsa Regum & gubernatorum est ratio in Republica, de quibus hominum vulgus, vt cõqueratur, quod indigeat quãplurimis, certè non intelligit, quantum viciſſim ex ijs accedit omnibus commodorum. Vnus enim pro mille, & tot pro vno nón valuerint vel nonnumquam, Sed carendo, quam fruendo principibus bonis hæc similiaq;

tecũ ipſe potius recognoſcas. Et deni que colluſtremus omnẽ antiquitatẽ animo,& ipſa etiã præſentia tempora cogitatione complectamur. Quid? An in omni memoria non magni & multi à natura extiterunt Reges, qui ſuapte, quod fortaſſe non feciſſent doctiores plures, immenſam illam faciundi, quæ vellent, licentiam in gyrum rationis conuerterunt? diuitiarum copiam ſpreuerunt? in victoria, quæ ſuperba & inſolens eſt, ſeipſos tenuerunt? regna & imperia oblata contempſerunt? Quod enim docti ſæpe neſciũt, hoc materno cũ lacte Regum filij imbibunt; nec vt crebro, ſic etiam verè heroum filij noxæ appellãtur: cum adeo perſpicuũ ſit, vel ab ipſo mũdi exordio, Regibus, & eorũ filijs vitæ & necis imperium creditum fuiſſe; diiudicandi controuerſias litium poteſtatem populos commiſiſſe, & honorem obedientiamque debitam illis ſemper detuliſſe. Etenim multi licet digni, Regum poſteri imperio ſunt digniſſimi. Debetur

enim Principibus multum; sed & aliquid filijs eorum etiam mortuorum; quos tametsi alicubi patrius mos à regno excluserit, certè humanitas ciuium recipere solet, necnon iure debet: Namq. Regum quàm aliorum cura maior diuinitus habetur, & Angelus ipsis custos fortior adiungitur; & ipse intellectus procul dubio amplius illustratur. Quod multis multorũ exẽplis proculdubio est probatum. Age an quo illustri nascitur aliquis magis loco, nõ eò mansuetiori est & animo? Hominũ haud secus quàm apũ Reges carere debent aculeo; ne ad summã potẽtiam, summã acerbitatem morũ adiungere videantur. Postremo, sicuti vnus & idem est, qui in re medica salubritatem & sanitatem cunctis præstat, & qui morbos curat: ita & in Republ. qui non idem sit Rex & iudex causarum? Nam quanto quidem à populo iura Magistratus magis restringuntur, tanto de populi ipsius decedit plus dignitate. Quemadmodum

enim in humano corpore membra omnia caput vnum regit, sic & in regno Rex scienter cuncta disponit, vno illo suo, & non plurium, quos vix concordaueris, arbitratu. Qui vnus de agendis, vel omittendis rebus deliberationem proponit, ambigua explicat, dubia dissoluit, res decernit, leges fert, exemplo præit, populum instruit, & à vi iniuriáque potentiorum tuetur, & defendit. Reges quippe non ad otium, sed ad negotium, non ad voluptatem, sed ad dignitatem; non ad otiosè triumphandum, sed ad laboriosè gubernandum diuinitus eliguntur. Qui suo si non rectè defunguntur munere, qui sit mirum, si ad sua, à quibus est orta, redit principia Respublica? et si Democratia in Oligarchiam, hæc degenerat in Regnum, quo corrupto rursus ad Olygarchiam, vel reuertitur ad Democratiam, & denique, posteaquàm Olygarchiæ sensērit incommoda, in Monarchiæ transit extremum, vt ab Olygarchia ponat

nat se in libertatem. Omnia enim extrema non sunt diuturna; & quod vi fertur, torrentis instar labitur, nec dilapsum recuperatur. Sex autem potissimæ sunt causæ mutationis Rei pub. Prima est gentium & nationum contemptus, tam internarum, quam etiam externarum. Altera, concupiscentia alienarum facultatum. Tertia, desiderium appetituum explendorum. Quarta, contemptio legum. Quinta abusus potentiæ. Sexta, penuria virorum, tam belli, quam pacis artibus insignium. Non enim exercitus (ait ille) non thesauri, non munitiones, non opes fulcra sunt Regum, sed amici, qui fide & obsequio parantur. Vnde in suis epistolis alicubi Plato: Miser, inquit, pereo nullis fultus amicis. Dubijs enim formidolosisque temporibus amicorum certa fides, consiliumque spectatur. Iam vero, vt in vno illo eodemque Rege permaneamus describendo, certum quidem definitumq; esto; nec rectè à puero, neque à plu-

ribus

ribus Rempub. gubernari. Nam pueros populo dari, iuxtà illud Vatis, diuinæ argumentum est iracundiæ, & Romani à diis precabantur, ne pueros haberent, quos malus tutor gubernaret, vnquam rectores. Malè enim viam demõstrauerit, eget qui ipse ductore. Quantum verò ad vnius, non ad plurium gubernationem spectauerit in Repub. nemini est dubium, regna non nisi vnum capere, nec duos in vno mundo soles, nec in vno exercitu cum æquali potestate duos solere esse Imperatores. Deus enim vnus in Cœlo, vno etiam in terris delectatur rectore. Quò magis nulla capitalior pestis est Reipubl. quàm eorum in regno, aut aliqua politia nec opinatus natus subito numerus, qui non tam esse, quàm videri, nec videri modo, sed volunt etiam quodammodo adorari. Nam malum quidem est, quando, qui inferiores sunt, pares alijs esse cupiunt: sed omnium pessimum, quando paulo maiores, volunt esse omnium tan-
dem

dem superiores. Qui enim, in magna morū & ingeniorum disparitate, Rex opes & honores rectè partiatur; sine illa animorum in ciuibus offensione, qua societas humani generis subito disgregatur, & sine qua, illa, quæ gubernantium dicitur anima, nulla ratio & proportio constiterit æquitatis; cum nemo eo, quod ei datur, erit contentus, nemo superiorem tulerit, ac vix quidem parem; & denique non medico, & figulo, zonario, & architecto, sed tantum horum vno, Rempubl. dicet constare, semperq; constitisse? Nam quotus quisque est, qui non fateatur, Deum Opt. Max. hanc pulcherrimam orbis terræ machinam, ex partibus inæqualibus; adeoque repugnantibus sibi elementis, orbiumque agitationibus construxisse, & ita quidem construxisse, vt, ea congruenti discordia sublata, ipsum mundum oporteret terminari? Ad eum modum bonus etiam patriæ suæ ciuis, tanquam antiquissimam omnium parentem, non nouercam,

cam, quæ ipsa omnes omnium nominum charitates complexa est, qui non patiatur gubernari, non modo à solis dominis, verum etiam ab inferioribus eorum administris, à potentibus, & imbecillibus, ab obscuris, & claris, à locupletibus, & egenis, & alijs generis eiusdem? Nam secus qui faceret, bellum cœlo inferret, aut cœlum miscere vellet inferno; cum suo cuncta constent ordine, numero, & pondere certo, nec confundere expediat omnia properato. Sed tu mihi paritatem in nobilitatè suffragiorum, & consuetudines obieceris tuas; sane egregias; perinde ac si nesciatur, æqualitate nihil esse inæqualius. Quæ nec ipsa quidem his suffragijs ferendis obseruari potest, aut debet omnino. Nam vt æqualitas sit nobilitatis, non erit certè dignitatis, & pro se quisque secum tacitus, quis sit, & quo alter eo præstet, recognoscit. Quod vt secus æstimet vulgus, Principi quidem philosophorum Aristoteli, æqualitate

inæqualius visum est nihil; & ante eum Plato æquationem honorum prohibuit, quanquam diuitijs pro se quisque potest vti libere, imperio non æque. Et cum magnæ magnis artibus parentur opes, sola illa non verbosa, sed rerum domina sapientia diuinitus datur & instillatur, cuius hominum vulgus expers ignarusque habetur. Rectè enim Romanus alicubi sapiens: Quis, inquit, multitudini placet? placet cui virtus. quam nescio quis alter, rerum futurarum auidam, & præteritarum obliuiosã, præsentium ingratam verè appellauit. Quo enim loco, aut tempore, qua gente & natione, beneficiorum gratus multitudinis inuentus est animus? Qualis & quanta memoria beneficiorum, etiam maximorum? Liceat mihi sacris vti exemplis, quanquam ijs, vulgi opinione, humilis reddi videatur oratio. Recordamur, inquit, piscium, quos comedebamus in Aegypto gratis. Quos tamen non gratis habebant, sed emebant,

bant, etiam magno; & denique carnium, quibus in Aegypto saturabantur, faciebant mentionem, & illius obliti erant, quam seruiebant seruitutem; qua quoad premebantur, cupidissimi fuerant libertatis. Mox in eam asserti exclamarunt in Moysen: Sepulchrane in Aegypto deerant, quod in solitudinem nos eduxisti ad moriendum? Ac vt perstemus in ijsdem exemplis sacris, & fidem habeamus magis, quàm profanis: Quid? cum Gedeon de manu Madian populum Israel liberasset, & Zebean, atque Salmana occidisset, nonne omnes ad eum hæc verba fecerunt: Dominare tu nobis; & posteri tui. Nec tamen tam cito obijt, quàm septuaginta eius filiorum populus in obliuionem venit, &, quæ promiserat, negare non dubitauit; vulgo enim polliceri verbis, & re ipsa stare promissis, minus usitatũ censetur. Age, Dauide ad Deum conuerso quid fuit sanctius? at in inculpatum idem ille populus prodi-
torie

metem Turcarum Imperatorem maximè, qui fulmen quoddam, ob miram celeritatem, & incredibilem fœlicitatem, vulgò à suis dicebatur. Non poterant duo imperia Constantinopolitanum, & Trapezuntinum captum, non duodecim regna, non viginti prouinciæ, non trecentæ vrbes possessæ eius ambitionem sistere, quo minus, Hydrunto in Italia capto, ad Vrbis, & Orbis imperium aspiraret: sed morte præuentus, cui ei voluntate studuit, eam necessitate missam fecit, & præter opinione m vitam cum morte commutauit. Vastæ quippe sunt cogitationes Regum, sed euentus præstare, tantum est diuinum. Iuuat ergo humanitatis nostræ, & illius dicti reminiscento recordari, quod non vnius eiusdemque artificis fuerit, velle, & posse, & ordiri, ac continuare bellum susceptum. Callida & turbulenta consilia multis funesta, sed ipsis autoribus sunt, fueruntque semper funestissima. Quod Neapoli in Arra-

gonijs

gonijs Regibus, & Mediolani in Sforzia Moro fuit vidisse, qui dum Italiæ arbitrum se profitetur, in decennali carcere in Gallijs moritur; & dum Gallus ab eo in Italiam euocatur, Hispanus bolo potitur, & nemo eorum ambitiosis consiliis adiuuatur. Quid enim? nostris quoque tẽporibus, quid Amyralio Franciæ, quid in Belgio Principi Auriaco pro fuerint, quis ignorat? Nam de Amyralio illud ferunt; Quod cũ aliquãdo contra Regem suum arma sumsisset, & magnum exercitum in expeditionem eduxisset, vltrò multis narrabat audientibus, quendam puero, quod pedibus in patibulo pendere debebat, prædixisse, & tandem ita fuit, vt, quod ipsi minus prædictum videbatur vere, extra Lutetiam vtroque penderet pede; & quod incredibile factu fuerat viuo, eueniret mortuo, postquam caput ab hostibus amputatum, in Germaniam fuerat deportatum. Hic nimirum ambitiosorum est finis, funisue potius, qui

altius

torie conſpirauit. Quod vel in ipſo Ieſu patuit, quem primum honore affectum in crucem Iudæi tandem egerunt, & nullis non probris contumelijsq. affecerunt. Paulo namq. momento ab vno extremo in aliud labitur multitudo. Quæ cum in vna illa conſtans ſit inconſtantia, quis multis alijs Reipub. formis monarchiam nõ prætulerit, & ad eam euertendam, aut etiam quouis modo infirmandã conſpirauerit impotenter? Equidem multa multorum conſilia periculoſiſsima eſſe video, ſed nihil magis periculoſum animaduerto, quàm iura reſtringere maieſtatis, & æqualitatẽ inducere velle in Rempub. qua nihil & inæqualius & iniquius eſt aliquando. Quis enim non intelligat, ſicuti quidem in fidibus & cãtu, vocibuſq. in ſe diſparibus, & tum acutis, tum etiam grauibus, moderatione quadã inter ſe confuſis, pulcherrimam effici & audiri vbiq. harmoniam, ita quoque ex ſummis & infimis, & inter hos medijs interpoſitis, quaſi quadam

 diſsi-

dissimilium conspiratione, statum si- bi congruere ciuitatis? Varietate enim terrarum orbis, & dissimilium congruentia Respub. est admirabilis. Quod si optimates præferas Regibus, quod inter vnum, & multos status paucorum veluti quoddam virtutis medium reponatur, is virtutem, tanquam honestatis ipsius magistram, non in numeri, sed in rationis medio dicat & sentiat collocari. Verum, vt etiam ipsum respicias numerum, vnitas non inferior est alijs; quæ vel Platoni placuit, licet ipsi monarchiæ iniquiori. Ad quam infirmandam quorsum illud attulit, quod vnum, qui recte præsit, inuenire sit difficile, quasi non difficilius plures, & quasi pluriũ affectiones domitu non sint incredibiles? Si enim in parui articulis digiti bonos Cæsares omnes numerari posse nescio quis dixerit, quid optimates, qui à minimis ad summum euecti fastigium, non tenent modum, & difficilius secundum, quàm aduersum fortunæ cursum æquo animo pa-

tiuntur,

tiuntur? Et denique in optimatum & populari Reipub. ſtatu, numerantur quàm ponderantur magis ſententiæ, ſecus in gubernationum omnium regina monarchia, quam non docti, ſed imbuti, non in Lycæo perceptam, ſed cœlitus hauſtã, à memoria extrema, extremi terrarũ populi coluerũt: ſic, vt primũ quidẽ & Aegyptij regiũ nomen, numẽ quaſi aliquod coluerint, & nũc demũ Galli, Poloni, Bohemi, Sueti, & Dani, Moſci immo & Lacones ſar, tũ tectũq. perpetuo conſeruauerint. Ferenda enim principũ ſunt ingenia, quæ & ſenſim tãdẽ efficiũtur molliora. Neq. tamẽ ego is ſum, qui in omnibus omniũ nominũ Regibus Principibusq. conquieſcam, quorum aliquos video ab operibus magnarũ rerum longè abeſſe, aliquos magis ſpectra marina, quam ſimulachra diuina cenſeri debere, ſemperq. debuiſſe. Pluribus enim principibus in ipſo flore iuuentutis defuerunt vires, ob libertatem immenſam, ad explendas cupiditates. Qui poſtea conſuetudi-

ne imperandi vlterius etiam quam par est prouehuntur,& partim obstinatione, partim ignorãtia cæcuciũt; non tam ad veritatem quàm ad voluptatem loquẽtes libentius audiũt, regni, & Regum nomen prostituunt, ac,quòd absit,ad interitum etiã ruũt quasi ipsimet voluntarium. Plures enim Reges corrupti mores, quã veneno infecti flores perdiderũt.Sed vt tãdẽ fuerit, si per Nabuchodonosorẽ Regem,quem seruum suum appellat, exegerit pœnas à populo Deus Opt. Max. quid & nos ab eius similibus non æquo animo non omnia perferamus? Si à recta aberrauimus via, cupit vt in bonam reuertamur, si secus, ferendo & patiendo caput nostrum imitemur, & imitando proficiamus, & proficiendo altiora expectemus. Querelæ non restat locus, vbi exercendæ virtutis offertur campus,& non debet esse illud odio, in quo sempiternæ fœlicitatis cõsequendæ datur occasio. Denique & illud recordãdum, quòd in solo Deo Opt.

Max.

Max. secus in hominibus fuerit perfectio. Ac cum omniũ, tum maxime Regũ conuenit nos misereri, qui alienis auribus audiũt, manibus faciũt; & quorum vigilijs nostra quies, labore otium, vacationes occupatione continentur. Sed finis sit. Perperam quidem faciunt, qui in publica administratione Reges impediunt, qui negotium ijs facessunt, qui æqualitatẽ in Rempub. inducũt, & omnia transuersum agunt, in suam, & aliorũ perniciem. Enimuero si his tot tántisq. malis aliquando perierunt imperia, hodie non cõcidat regnum aut prouincia: & si libertate concionum, & seditione populari ruere olim fuit Græciæ fatale, nobis sit salutare. Equidem tale alicubi legi: Quale hic est principium, vtinam saltem non exitiũ. Spes alit, sed & fallit aliquando, præsertim non nisi damno accipiendo cautos, & dulci fortuna, ac falsa persuasione de se inebriatos. A quibus si metuitur in monarchia tyrannus, qui non maior tyrannorum

ribus Rempub. gubernari. Nam pueros populo dari, iuxtà illud Vatis, diuinæ argumentum est iracundiæ, & Romani à diis precabantur, ne pueros haberent, quos malus tutor gubernaret, vnquam rectores. Malè enim viam demõstrauerit, eget qui ipse ductore. Quantum verò ad vnius, non ad plurium gubernationem spectauerit in Repub. nemini est dubium, regna non nisi vnum capere, nec duos in vno mundo soles; nec in vno exercitu cum æquali potestate duos solere esse Imperatores. Deus enim vnus in Cœlo, vno etiam in terris delectatur rectore. Quò magis nulla capitalior pestis est Reipubl. quàm eorum in regno, aut aliqua politia nec opinatus natus subito numerus, qui non tam esse, quàm videri, nec videri modo, sed volunt etiam quodammodo adorari. Nam malum quidem est, quando, qui inferiores sunt, pares alijs esse cupiunt: sed omnium pessimum, quando paulo maiores, volunt esse omnium tan-

dem

dem superiores. Qui enim, in magna morũ & ingeniorum disparitate, Rex opes & honores recte partiatur; sine illa animorum in ciuibus offensione, qua societas humani generis subito disgregatur, & sine qua, illa, quæ gubernantium dicitur anima, nulla ratio & proportio constiterit æquitatis; cum nemo eo, quod ei datur, erit contentus, nemo superiorem tulerit, ac vix quidem parem; & denique non medico, & figulo, zonario, & architecto, sed tantum horum vno, Rempubl. dicet constare, semperq; constitisse? Nam quotus quisque est, qui non fateatur, Deum Opt. Max. hanc pulcherrimam orbis terræ machinam, ex partibus inæqualibus; adeoque repugnantibus sibi elementis, orbiumque agitationibus construxisse, & ita quidem construxisse, vt, ea congruenti discordia sublata, ipsum mundum oporteret terminari? Ad eum modum bonus etiam patriæ suæ ciuis, tanquam antiquissimam omnium parentem, non nouer-

cam, quæ ipsa omnes omnium nominum charitates complexa est, qui non patiatur gubernari, non modo à solis dominis, verum etiam ab inferioribus eorum administris, à potentibus, & imbecillibus, ab obscuris,& claris, à locupletibus, & egenis, & alijs generis eiusdem? Nam secus qui faceret, bellum cœlo inferret, aut cœlum miscere vellet inferno; cum suo cuncta constent ordine, numero, & pondere certo, nec confundere expediat omnia properato. Sed tu mihi paritatem in nobilitate suffragiorum,& consuetudines obieceris tuas; sane egregias; perinde ac si nesciatur, æqualitate nihil esse inæqualius. Quæ nec ipsa quidem his suffragijs ferendis obseruari potest,aut debet omnino. Nam vt æqualitas sit nobilitatis, non erit certè dignitatis, & pro se quisque secum tacitus,quis sit, & quo alter eo præstet,recognoscit. Quod vt secus æstimet vulgus, Principi quidem philosophorum Aristoteli, æqualitate

inæqualius visum est nihil; & ante eum Plato æquationem honorum prohibuit, quanquam diuitijs pro se quisque potest vti libere, imperio non æque. Et cum magnæ magnis artibus parentur opes, sola illa non verbosa, sed rerum domina sapientia diuinitus datur & instillatur, cuius hominum vulgus expers ignarusque habetur. Rectè enim Romanus alicubi sapiens: Quis, inquit, multitudini placet? placet cui virtus. quam nescio quis alter, rerum futurarum auidam, & præteritarum obliuiosã, præsentium ingratam verè appellauit. Quo enim loco, aut tempore, qua gente & natione, beneficiorum gratus multitudinis inuentus est animus? Qualis & quanta memoria beneficiorum, etiam maximorum? Liceat mihi sacris vti exemplis, quanquam ijs, vulgi opinione, humilis reddi videatur oratio. Recordamur, inquit, piscium, quos comedebamus in Aegypto gratis. Quos tamen non gratis habebant, sed eme-

metem Turcarum Imperatorem maximè, qui fulmen quoddam, ob miram celeritatem, & incredibilem fœlicitatem, vulgò à ſuis dicebatur. Non poterant duo imperia Conſtantinopolitanum, & Trapezuntinum captum, non duodecim regna, non viginti prouinciæ, non trecentæ vrbes poſſeſſæ eius ambitionem ſiſtere, quo minus, Hydrunto in Italia capto, ad Vrbis,& Orbis imperium aſpiraret: ſed morte præuentus, cui rei voluntate ſtuduit, eam neceſſitate miſſam fecit, & præter opinione m vitam cum morte commutauit. Vaſtæ quippe ſunt cogitationes Regum, ſed euentus præſtare, tantum eſt diuinum. Iuuat ergo humanitatis noſtræ, & illius dicti reminiſcendo recordari, quod non vnius eiuſdemque artificis fuerit, velle,& poſſe, & ordiri, ac continuare bellum ſuſceptum. Callida & turbulenta conſilia multis funeſta, ſed ipſis auctoribus ſunt,fueruntque ſemper funeſtiſſima. Quod Neapoli in Arra-

gonijs Regibus, & Mediolani in Sforzia Moro fuit vidisse, qui dum Italiæ arbitrum se profitetur, in decennali carcere in Gallijs moritur; & dum Gallus ab eo in Italiam euocatur, Hispanus bolo potitur, & nemo eorum ambitiosis consiliis adiuuatur. Quid enim? nostris quoque tēporibus, quid Amyralio Franciæ, quid in Belgio Principi Auriaco pro fuerint, quis ignorat? Nam de Amyralio illud ferunt; Quod cū aliquādo contra Regem suum arma sumsisset, & magnum exercitum in expeditionem eduxisset, vltrò multis narrabat audientibus, quendam puero, quod pedibus in patibulo pendere debebat, prædixisse, & tandem ita fuit, vt, quod ipsi minus prædictum videbatur vere, extra Lutetiam vtroque penderet pede; & quod incredibile factu fuerat viuo, eueniret mortuo, postquam caput ab hostibus amputatum, in Germaniam fuerat deportatum. Hic nimirum ambitiosorum est finis, funisue potius, qui altius

torie conſpirauit. Quod vel in ipſo Ie ſu patuit, quem primum honore affe-ctum in crucem Iudæi tandem egerunt, & nullis non probris contumelijsq. affecerunt. Paulo namq. momento ab vno extremo in aliud labitur multitudo. Quæ cum in vna illa conſtans ſit inconſtantia, quis multis alijs Reipub. formis monarchiam nō prætulerit, & ad eam euertendam, aut etiam quouis modo infirmandā conſpirauerit impotenter? Equidem multa multorum conſilia periculoſiſsima eſſe video, ſed nihil magis periculoſum animaduerto, quàm iura reſtringere maieſtatis, & æqualitatē inducere velle in Rempub. qua nihil & inæqualius & iniquius eſt aliquando. Quis enim non intelligat, ſicuti quidem in fidibus & cātu, vocibuſq. in ſe diſparibus, & tum acutis, tum etiam grauibus, moderatione quadā inter ſe confuſis, pulcherrimam effici & audiri vbiq. harmoniam, ita quoque ex ſummis & infimis, & inter hos medijs interpoſitis, quaſi quadam

dissimilium conspiratione, statum si-
bi congruere ciuitatis? Varietate
enim terrarum orbis, & dissimilium
congruentia Respub. est admirabilis.
Quod si optimates præferas Regibus,
quod inter vnum, & multos status
paucorum veluti quoddam virtutis
medium reponatur, is virtutem, tan-
quam honestatis ipsius magistram,
non in numeri, sed in rationis medio
dicat & sentiat collocari. Verum, vt
etiam ipsum respicias numerum, vni-
tas non inferior est alijs; quæ vel Pla-
toni placuit, licet ipsi monarchiæ ini
quiori. Ad quam infirmandam quor-
sum illud attulit, quod vnum, qui re-
cte præsit, inuenire sit difficile, quasi
non difficilius plures, & quasi pluriũ
affectiones domitu non sint incre-
dibiles? Si enim in parui articulis di-
giti bonos Cæsares omnes numerari
posse nescio quis dixerit, quid opti-
mates, qui à minimis ad summum
euecti fastigium, non tenent modum,
& difficilius secundum, quàm aduer-
sum fortunæ cursum æquo animo pa-
tiuntur,

tiuntur? Et denique in optimatum & populari Reipub. statu, numerantur quàm ponderantur magis sententiæ, secus in gubernationum omnium regina monarchia, quam non docti, sed imbuti, non in Lycæo perceptam, sed cœlitus haustã, à memoria extrema, extremi terrarũ populi coluerũt: sic, vt primũ quidẽ & Aegyptij regiũ nomen, numẽ quasi aliquod coluerint, & nũc demũ Galli, Poloni, Bohemi, Sueti, & Dani, Mosci immo & Lacones sar, tũ tectũq. perpetuo conseruauerint. Ferenda enim principũ sunt ingenia, quæ & sensim tãdẽ efficiũtur molliora. Neq. tamẽ ego is sum, qui in omnibus omniũ nominũ Regibus Principibusq. conquiescam, quorum aliquos video ab operibus magnarũ rerum longè abesse, aliquos magis spectra marina, quam simulachra diuina censeri debere, semperq. debuisse. Pluribus enim principibus in ipso flore iuuentutis defuerunt vires, ob libertatem immensam, ad explendas cupiditates. Qui postea consuetudi-

ne imperandi vlterius etiam quam par est prouehuntur, & partim obstinatione, partim ignorãtia cæcuciũt, non tam ad veritatem quàm ad voluptatem loquẽtes libentius audiũt, regni, & Regum nomen prostituunt, ac, quòd absit, ad interitum etiã ruũt quasi ipsimet voluntarium. Plures enim Reges corrupti mores, quã veneno infecti flores perdiderũt. Sed vt tãdẽ fuerit, si per Nabuchodonosorẽ Regem, quem seruum suum appellat, exegerit pœnas à populo Deus Opt. Max. quid & nos ab eius similibus non æquo animo non omnia perferamus? Si à recta aberrauimus via, cupit vt in bonam reuertamur, si secus, ferendo & patiendo caput nostrum imitemur, & imitando proficiamus, & proficiendo altiora expectemus. Querelæ non restat locus, vbi exercendæ virtutis offertur campus, & non debet esse illud odio, in quo sempiternæ fœlicitatis cõsequendæ datur occasio. Denique & illud recordãdum, quòd in solo Deo Opt.
Max.


Max. secus in hominibus fuerit perfectio. Ac cum omniũ, tum maximè Regũ conuenit nos misereri, qui alienis auribus audiũt, manibus faciũt; & quorum vigilijs nostra quies, labore otium, vacationes occupationes continentur. Sed finis sit. Perperam quidem faciunt, qui in publica administratione Reges impediunt, qui negotium ijs facessunt, qui æqualitatẽ in Rempub. inducũt, & omnia transuersum agunt, in suam, & aliorũ perniciem. Enimuero si his tot tántisq. malis aliquando perierunt imperia, hodie non cõcidat regnum aut prouincia: & si libertate concionum, & seditione populari ruere olim fuit Græciæ fatale, nobis sit salutare. Equidem tale alicubi legi: Quale hic est principium, vtinam saltem non exitiũ. Spes alit, sed & fallit aliquando, præsertim non nisi damno accipiendo cautos, & dulci fortuna, ac falsa persuasione de se inebriatos. A quibus si metuitur in monarchia tyrannus, qui non maior tyrannorum

in immoderata libertate metuatur multitudo?& si morem gerere difficile ijs est Regibus,qui non fuerit & parentibus, quod in Deum & homines est peccauisse? Ratio dictat, natura docet, experientia monstrat,necessario esse obediendũ;cum alij ad imperandum,alij ad parendum procreentur, & in vno illo Rege salutem esse, teste Cicerone,Sybilla enũtiauerit,& æqualitate inequalius nihil esse toties ratio demõstrauerit. Quorsũ eruas inimicó oculũ, vt ipse rursus,eo auctore,amittas iugulũ,& stultum imitere turdũ,qui,vt est in prouerbio,sibi ipse cacat exitium? Nouitatũ delectat initiũ,sed principio non æque respondet extremũ: medium interim ferire oĩum est difficillimũ. Qui bene sedet, locũ non mutet;qui valet, medicũ nõ curet;&cuius aqua restinguitur sitis, aurũ nõ desideret: alta ruinã,superba inuidiã, temerarij ausus temerarios exitus,leuitatẽ despicatus comitatur, & veste,quæ ex duobus contexta est, vti populum diuinitus vetatur.

HO-

HONORVM GLORIAEQ. AMBITIO, SVI EST OBLIVIO.





VI tot regnorum, imperiorumq. mutationes,& ipsas notant clades, vt multas variasq. earum causas, has quidem vel maximas potissimasq. afferunt tres: Ambitionem, Luxuriam,& quandam veluti sitim, ac cupiditatem ditescendi. Sed ita tamen, vt causarum maxima & potissima, vna illa sit, semperq. fuerit ambitio. Nam sicuti quidem virtus omnia vitia, sic & ambitio ipsa antecellit,& Rempub. (vt plerumq. fit) tandem euertit. Nemo enim quàm à seipso magis læditur, & nemo pericu-

 losius,

losius, quàm qui alta petierit, deturbatur. Quæ quidem præceps & lubrica ambitio, cũ vt plerũq. fit, ex ignoratione nostri proficiscatur, dãda est opera, vt, quod Apollo Pythius oraculo edidit, nosipsos noscamus; & ut uel maximi simus, alios præ nobis non despiciamus. Pulchrum enim est excelluisse in multis multum; sed unũ præ cæteris id sibi usurpare, est temerarium, & auditu permolestum. Quota enim res quæque fuerit, qua non modo hominem homo, sed ipsa quoque nos non anteierint animantia? Nam ut ab anima primum, corporeq. ordiamur. Industria apes, sagacitate vulpes, ingenio elephanti, pulchritudine equi, diuturnitate vitæ corui, & anseres nos superant. Si vero opes & diuitias spectemus, hæc tẽporum fortunæq. munera, ne in bonis quidem numerauens, quę verius, quàm bona, ludibria fortunæ appellantur, quæ nos nec meliores, nec animo faciunt quietiores. Quinimmo vt augendi cupiditate, sic & amittendarum

rum earum metu perpetuò crucia-mur. Iam vero, si non modo vitia, sed & ipsæ etiam virtutes ex aliorum contentione, quam per se ipsæ ma-gis cognoſcuntur, ecquis reperietur, qui omnibus (vt ita dicam) parti-bus & numeris sit expletus & abſolu-tus? Summa quippe ſecuti, aſſecuti mediocria fuerunt contenti, & faci-lius potuerunt alios laudare, quàm æmulari. Agenamque videamus, quæ in vnoquoque magno & admirabili viro deſiderata ſunt, & fuerunt. Ma-gnus erat, & magnam fortitudinis laudem retulit Hercules, eundem tamen parum continentes habuiſſe manus, bobus ſibi ab eo ablatis, co-lonus conqueritur. Socrates Apolli-nis oraculo omnium dictus eſt ſapien tiſſimus, qui idem ad libidinem in primis fuit pronus. Plato, & Ariſto-teles philoſophorum principes, quos etiam ſua conſtat habuiſſe vitia, & quidem enormia. Taceo Catonem, & Traianum, quamquam boni dice-rentur, vtrumque vinoſum; Alexan-

 drum

drum Seuerum, quo Romæ integrior nemo, voracem & ambitiosum; Gordianos inter optimos relatos, plus æquo habitos fuisse delicatos. Semper enim natura pensat sua vitijs munera, nec omni ex parte relinquit aliquid absolutum. Demosthenem Oratorem Græcum, & Romanæ parentem eloquentiæ M. Tullium silentio prætereo, quorum hic timidus & vanus, alter proditor patriæ à quibusdam est appellatus. Non Syllam, & Marium commemoro, bello claros, sed tyrannos. Non Iulium Cæsarem, & Pompeium, rebus quidem gestis insignes, sed incendio patriæ magis detestabiles. Non enim alicuius gloria in ore hominum tantum versatur, quantum is, qui funus accelerauerit patriæ diris vouetur. Quid illud, & quantum est, quod nihil profuerit, celebrari hic, & cruciari illic, vnaque & altera præstare laude, & omni turpari fœditate? Nulla in dolore voluptas, nec virtutis, aut turpitudinis est communitas.

Quò

Quò magis nullo loco & honore dignos arbitrere, qui tamē nescio quo, non tàm interno, quàm externo splendore vitæ nomen sibi quærunt, & mēs eorum præceptis, institutisq. philosophicis est vacua: Facilius nempe in corpore, quàm in pectore præseferre est splendorem & maiestatem. Qui quidem iniurij vt sunt nemini, dum nec à se, neque ab alijs propulsant iniurias, etiam huius lucis vsura erunt indignissimi. Par enim vitæ, &, quæ ei aliquando præfertur, ratio habetur dignitatis. Quod si superiorem semper esse malis contendēdum est, quid non etiam commiserendum & calamitosis? Indigne quippe viuit, viuere per quem alijs, cum possit, nō licuerit. Age, quot & quanti in orbe terrarum sunt, qui de contēptu mundi, gloriæq. scripserunt, & vel eo ipso magis, M. Tullio teste, celebrari & gloriosi esse voluerunt? Qui quantumuis licet apud se viles habuerint opes, quotus tamen fuit, qui virtutis & ingenij gloriam alijs concesserit?

rit? Quidam enim diuitias, non sic vero laudes aspernantur. Quod in quibusdam angelica puritate & sanctimonia claris fuit deprehensum; & ante alios Pontanus Iouianus, vir sua ætate doctissimus, Carolo VIII. Gallorum Regi Neapolim venienti, oblitus Arragoniorum Regum, quorum præceptor fuerat, Latina Oratione habita, publicè est victoriam gratulatus, vt tantum suam illam, si Deo placuit, eloquentiam vulgò testaretur. Quò namque laurea victoris, eò vertitur aliquando os etiam Oratoris. Quid vero tot tantiq. alij viri vndequaque ornatissimi? An sicuti hamo pisces, sic ista dulcedine gloriæ capti non sunt, & sublatius de se ipsi loqui, & sentire non dubitauerunt? Nota quorundam illustrium virorū est historia, quam nescio quis ideo ferebatur scripsisse, vt ipsum quoque se, quasi aliquid agendo aliud inseruisset. Quamquam ego nihil horum suspicari velim, & nec iure possim. Debemus enim, nisi secus patuerit, in

in meliorem cuncta interprætari par tem; artem vt contrariam nonnulli amplectantur. Certum interim definitumq. esto, omnia alia posse facilius deserere nos vitia, vnam illam ambitionem ad tumulum solere comitari. Cum enim ambitio magnanimitati sit opposita, duò habet extrema vitia, vt aut honores immoderatius appetat, aut vero superbe contemnat & aspernetur. In quo certo quodam modo & ratione superbiæ est simillima; sed tamen non superbia ipsa, quæ,nulla etiam excellentia comite, multa & magna sibi deberi opinatur. Secus quidem ambitio est, licet & huius ordo præposterus sit, honoribus anxiè desiderandis. Etenim rerum earum, quibus cohonestemur, studio hæc maximè insunt tria: Primum quidem, vt corpus vmbra, sic virtutem nostram honos comitatur, qua qui præditus est, næ haud negauerit, non à se, sed aliunde eam se habuisse. Omnes enim omnia Deo Opt. Max. iure ferunt accepta,

pta, & memorī mente colunt beneficia eius gratuita. Secūdo verò, quod, quodcumque tandem habueris, ad vtilitatem publicam referas necesse est. Quippe virtutis bonum cum sit diffusum, communicatione sui constat, & nisi alijs profueris, frustra honore, qui tibi defertur, delectaris. Tertio, quod honor virtutis præmiū, & antiquitus dictus, & semper, & vbique, & ab omnibus est obseruatus: neque tamen, honoris illius tantum gratia, virtuti fuerit adhærendum, cum illa ipsa sibi magna sit merces, & vel in medijs tenebris retineat splendorem suum & maiestatem. Falsum verò, erroneumq. est, quod quidam autumant, generis nobilitate, aut diuitijs, aut magnificentia vlla, posse, vel debere honorem cōparari. Quid enim aliud fuerit, nobilitatem iactare tuam, quàm obscuritatem despicere alienam? & Deo Opt. Max. ortus nostri & naturæ detrahere auctori, quod non cuncta simul singulis, verum largitus est vniuersa vniuersis?

ls? Quid gloriari est in diuitijs, quã reponere spem in fortunæ ludibrijs, quæ nec cuiusquã firma, neq. vera sũt bona, & quò magis animum ijs applicaueris, eò fuerint tibi infestiora? Arcã enim, quàm cupiditatẽ, facilius explere sẽper licebit. Quid deniq. luxu est diffluere, quã lumen animi extinguere, & quadrupedẽ, non hominem agere diurna nocturnaq. perpotatione? Quibusdam sanè, quàm viuere, bibere est dulcius, & libido cerebro prę dominatur. Viuant autem mortales mortis semper memores, & eiusdem, cum necessitas postulauerit, pro Christo, & patria contemptores. Postremo etiam, quod multi magniq. factitare solent, quid opera, nunc in hac, nunc in illa re principibus venditanda honorem; quid ineptijs aulicis excellentiam quandam est quæsiuisse, quam histrionicam exercuisse, & Regibus ac principibus, qui nouis rebus, & inuentionibus delectantur, fucum fecisse? Si enim virtuti confidis tuæ, quid non ea potius, quam

ineptijs

ineptijs & vanitate te commedes? Si, quòd viro dignum sit, nescis, lateas, & discas, & Proteum non agas, neque Regibus & principibus vendi tando te imponas. Sed age vel aliqua in re maxima vt excellas, an non multis rebus alijs nunc huic, nunc alteri eris inferior? Summus quippe magister Christus Opt. Max. dedit & fregit discipulis panem, vt testaretur, vni sibi infractam se reliquisse portionem ipsius soliditatis. Itaq; si sciẽtiã, teste Aristotele, spectes, maxima pars eorũ, quæ scimus, mini ma eorũ est, quæ ignoramus; & illud ipsum, quod sciuerimus, parum aliquando nos iuuat, quod sciendo omiserimus bonum, tandem condemnat. Si vero abs te, aut ab alijs gestas intueare res, quotus quisque fuerit, qui summos illos duces & bellatores adæquauerit? Postremò, si opes & possessiones cõsideres, an non quãplurimos tibi pares, immò longè etiam inuenias te superiores? Non diu tumẽt inflati, & culices fiunt, qui
sibi

ſibi videbantur elephanti. Sed hæc partim de ſapientiæ, partim etiam dicta ſuffecerint opinione potentiæ. Omnia enim contentione franguntur, & quæ magnum acumen habuerint, hebetantur. Ad hominem ipſum accedamus, in quo cum nihil magis quam notentur vitia, tu, qui vitiorum expers non es, nec eſſe, quoad vixeris, potes, quid non alijs potius commiſereare, quàm perpetuo habeas eos deſpicatui? Spretis quidem per te alijs, contemptum etiam & odioſum futurum te, nemo profecto dubitabit. Pulchrum enim, inuentores necis eadem nece, & eos, qui alios deſpexerint, deſpicabiles, & egentes, eſt interire. Quos interim animi morbos, cum vna illa (de qua toties dictum eſt) pariat ambitio, quis eam nō maximoperē fugiēdam, & vnam illam modeſtiam, cognitionemque ſui præ ea amplectendam non potius arbitretur? Quid enim eſt verticem attollere, quid præ alijs ſe efferre, quid honores & dignitates
ſiden-

fidenter petere, quàm ſeipſum & finem ſuum ignorare? Quid ſuperbis puluis & cinis? habent alicubi ſacra oracula. Ferunt quendam, quia diu multũq. ſectabatur aulam, tandem in morbum incidiſſe grauem, nec aliud ab eo, quàm vt, pro tot in eum meritis, videre eum poſſet, flagitaſſe, quem cum ille adijſſet, vt neſcio quo magiſtratu ipſum augeret, impenſiſſimè poſtulauit: at cum ille, quid morituro vſui foret, quæſiuiſſet, vt meus, inquit, pulchro epitaphio honeſtetur tumulus. Verũ videamus, quo primæuos etiam parentes noſtros deduxerit hæc ipſa ambitio. Suggeſtione Sathanæ, quod Dij futuri eſſent, tanquam œſtro perciti, de arbore vetita comederunt, & dum altum ſapere voluerunt, præcipites acti ſunt, & non cœlituum, ſed dæmonum ſocij extiterunt. Sic Deus Opt. Max. humilia reſpicit, & ruit qui ſe attolit. Quod vel in Lucifero illo Angelorum omniũ ſplendidiſsimo licuit cognouiſſe. Qui cũ in Aquilone
ſedem

ſedem ſuam ponere, & altiſſimo ſimilem ſe voluiſſet efficere, in Barathrum inferni eſt deturbatus, in quo cum ſocijs perpetuis flammis cruciatur. Ambitionis enim pœna adeo eſt æqua, vt, vel apud illud tribunal æquitatis & miſerationis plenum, veniam non potuerit adipiſci. Nam cum ab eo, qui bonorum auctor eſt omnium, omnia proficiſcantur, ingratus impiuſque eſt, qui ea ſibi tribuit, quæ tribuuntur diuinitati. Dat quippe cuncta Deus Opt. Max. animi grati gratis, ſed ſubito aufert ab ingratis. Age, videamus, quot & quanta vitia ex hac vna ambitione enaſcantur. Etenim qui ambitioſus, idem fuerit auarus & luxurioſus, quantumuis hæc ſibi ipſis repugnantia & vitia videantur contraria. Ac primum, qui ambitione flagrauerit, dilargitur quamplurima, & luxu eſt perditus, vnde demum cum egere cœperit, licet in fundo ſera ſit parſimonia, auarus, immò & alieni appetens eſſe incipit, citra omnem

opinio-

opinionem probitatis. Vt enim quò tendunt ambitiosi, perueniant, in omnes occasiones sunt intentissimi multitudinis demulcendæ. Qualem olim Roma Cæsarem habuit, qui,vt rerum potiretur solus, congiarijs epulis, muneribus,libero populo,ipso M.Tullio teste,consuetudinē attulit seruiendi. Hinc demum fraudes,in patriam proditiones, clandestina cum hostibus patriæ consilia, & nullæ non molitiones in publicam sequuntur libertatem. Vincere enim auet ambitio, vt quacumq; tandem arte obtineat principatum, ita vt illud vere sit dictum, sitim hydropici, & cupiditatem ambitiosi nunquam expleri. Quo enim plus potæ, eò magis sitiuntur aquæ, ait quidam ingeniosus poëta. Qnod Macedonis Alexandri exemplum satis superque fecit planum, qui,vno mundo debellato,moriens voluit alterum, quod, plures esse mundos, philosophum, nescio quem dixisse inaudisset. Meritò quidam, quid ambitio, & auaritia

ritia differrent, quæsitus: Auaritia huc, inquit, ori manum admouens, ambitio illuc, supra caput eandem eleuans, pertingit; & haud scio an temerè. Ambitio enim, non quo eatur, sed quo perueniatur secum ipsa quærit, nec media honesta, sed finem sine etiam æquis medijs cōsequi concupiscit. Quamobrem memorabile est, quod Pyrrho Epirotarum ambitioso accidit Regi, qui eum varia & ancipiti cura belli gerendi distineretur, accessit ad eum, inter fidos & charos amicos, fidissimus & charissimus Cineas, cuius plures vrbes eloquentia, quàm sua suorumque potentia cœpisse se gloriabatur, &, venia accepta, sic eum est affatus: Scis ne tu, inquit, Pyrrhe, pace tua dixerim, quæ Romanorum est potentia? scio inquit, Benè habet, respondit. sed sit tua etiam maior, tandem aliquando victor quid facies? Vlterius, ait, pergam, & Siciliam traijciam. Verum & hac fac potiare, quid ages postremò? in medijs, inquit, die-

bus

altius ad Coligni sacrilegum corpus triplici colligatus funiculo, non est disruptus. Quod idem tam veteribus, quam nouis planum, si opus esset, faceremus exemplis etiam infinitis. Quid enim quam gratiam potius ambitio euertit? Quid Romani? Cum vtrobiq; Oratores noui, stulti, adolescentuli, ambitiosiq; prouenirent? Quid postremò afflixit Hungariam? Quid Germaniam? Quid Bohemiam. Quid in illo maximo totius Poloniæ conuentu ad Leopolim coacto tantum non Poloniam? Cum Sigismundus Rex Poloniæ, per campos volantes, vociferantesq; contra Senatores Equites, fusis ex fenestra arcis Leopolitanæ ad Deum precibus, magis quam vi aut consilio aliquo tandem sedauit? Ac de Hungaria quidem, eiusq; ciuium ambitione longius et, si libet, oratione excurramus. Habuit certè ciues mobiles & ambitiosos semper, quorum artibus, partibusq; non modo diuersis, sed & aduersis, nec modo animis, sed & Ca-

ſtris ſibi infeſtis, in hunc, quem vide-
mus, Turcicum incidit laniatum.
Dum enim alter alteri in petitione
honorum præcurrit, dū externis Re-
gibus operam ſuam venditat, dum
potens imbecilliori iniuriam infert,
dum temporum mutationem, inter
regnaq; deſiderat, primùm quidem
ad ciuiles inciuiles admodum inter
ſe motus, poſtea ad vnius Turcæ Ty-
rānicum deuentum eſt dominatum.
Atq; vtinā tantū iā ſit finis. Terrent
Transyluaniæ veſtigia, qua appeten-
da Andreas (proh dolor) Cardinalis
Bathoreus, & Michael forte Vay-
uoda, ille vita, poſterior excidit im-
perio, anno vno vix circūacto. Vala-
chia vero vtraque tantum non qua-
draginta dominos habuit, anno ab
hinc quadrageſimo, à Deſpota illo,
quem Laſcus euexerat, ludimagi-
ſtro. Quæ omnia ambitioni adſcri-
buntur. Quærunt namq; ambitioſi
nouos perpetuo ſibi titulos & domi-
nos, & eius rei habent aliquando co-
lores ſpecioſos, ſed exitus funeſtiſſi-
mos.

mos. Ritus enim Græci, & animi Valachici diuisim quidem mali, sed coniunctim sunt pessimi. Cui hac tempestate malo, passim, & vbique occurendum etiã est ocyus, nec tam mens alicuius, num de patria benè mereri velit, spectanda, quam facultas, ne male possit, adimenda. Vnus enim homo, quid dico vnus, forsitan etiam nemo restituit nobis rem cunctando. Sed plures Rempub. quã nõ debebãt amiserũt vt ambiẽdo. Hinc olim etiã Athenis potentiorũ, ambitio sorumq; homin lege latâ frenabatur cupiditas, quæ ad hũc modum obseruabatur. Quadrata coctilis forma, quæ Græcis ostracismus dicitur, certis temporibus solebat ciuibus distribui; in qua nomen inscribebatur, quod pro se cuiq; magis placebat; collectis verò cum inscriptionibus nominum coctilibus formis, si earũ aliqua millium sex numerum excedebat, is, cuius in ostracismis nomen frequentius reperiebatur, erat in exilium actus, vt saluus status totius es-

set ciuitatis. Vix enim est credibile, quàm occultò repat,& aliena inuadat ambitio,& quam multi hoc vitio excœcati, sui, suæq; conditionis planè sunt obliti. Non tam quippe poculo amatorio, amore quam sui cœco quamplurimi fascinantur. Quid Antigono? Quid Lysimacho? Quid Ptolemæo? Quid reliquis Magni Alexandri successoribus fuit melius & moderatius, antequam ad Reipub. gubernacula accessissent? Verum non tam quidem cito regiū nomen & diadema consecuti sunt, quàm subitò se, suosque mores mutarunt,& propterea etiam non diuturni & stabiles extiterunt. Quod & de Neronis quinquennio, quo sanctius nihil vulgò etiam circumfertur. Ab vno enim in aliud extremum perfacilis lapsus; quod fortuna rationem, Rexque monitorem raro est passus; Quo magis non ineptè quidam, histriones quotidie plures vestes,& Reges mutare dixit consultores. Quos, sicut credibile est, iusta aliqua de cau-

sa respuerint, saltem mutos sibi asciscant, & ijs rectè monentibus obediant, & denique ante omnia benè equitare discant. Quadrupes non nouit sessorem, & excutit Regē etiā præpotentem. Obseruatum autem est, sicuti in herbis minimè fallacibus, quem fructum daturæ essent, maturæ cognosci potuisse: sic & in regibus, quorū ingenia à naturali quadam indole, quàm ab educatione par fuerit magis metiri. Multū educatio potest, interim natura, vt habet prouerbium, etiā furca pulsa, & pulsata recurrit. Quod in Alexandro Macedone patuit, qui ab Aristotele institutus, nihilominus fuit fatuus, & ebriosus. Nihil eum iuuerunt præcepta, & vt in tenera, sic fuit ambitiosus ætate iam adulta. nam vt puer, num in stadio currere vellet, interrogatus, non nisi cum Regibus, responderat; sic & moriens, vno debellato, alios vt dixi, mundos appetijt, & patri, quod multis gestis nihil sibi gerendum relinqueret, inuidit. Quinpe-

ineptijs & vanitate te commedes? Si, quòd viro dignum sit, nescis, lateas, & discas, & Proteum non agas, neque Regibus & principibus venditando te imponas. Sed age vel aliqua in re maxima vt excellas, an non multis rebus alijs nunc huic, nunc alteri eris inferior? Summus quippe magister Christus Opt. Max. dedit & fregit discipulis panem, vt testaretur, vni sibi infractam se reliquisse portionem ipsius soliditatis. Itaq; si sciẽtiã, teste Aristotele, spectes, maxima pars eorũ, quæ scimus, minima eorũ est, quæ ignoramus; & illud ipsum, quod sciuerimus, parum aliquando nos iuuat, quod sciendo omiserimus bonum, tandem condemnat. Si vero abs te, aut ab alijs gestas intueare res, quotus quisque fuerit, qui summos illos duces & bellatores adæquauerit? Postremò, si opes & possesiones cõsideres, an non quãplurimos tibi pares, immò longè etiam inuenias te superiores? Non diu tumẽt inflati, & culices fiunt, qui
sibi

ſibi videbantur elephanti. Sed hæc partim de ſapientiæ, partim etiam dicta ſuffecerint opinione potentiæ. Omnia enim contentione franguntur, & quæ magnum acumen habuerint, hebetantur. Ad hominem ipſum accedamus, in quo cum nihil magis quam notentur vitia, tu, qui vitiorum expers non es, nec eſſe, quoad vixeris, potes, quid non alijs potius commiſereare, quàm perpetuo habeas eos deſpicatui? Spretis quidem per te alijs, contemptum etiam & odioſum futurum te, nemo profecto dubitabit. Pulchrum enim inuentores necis eadem nece, & eos, qui alios deſpexerint, deſpicabiles, & egentes, eſt interire. Quos interim animi morbos, cum vna illa (de qua toties dictum eſt) pariat ambitio, quis eam nõ maximoperè fugiẽdam, & vnam illam modeſtiam, cognitionemque ſui præ ea amplectendam non potius arbitretur? Quid enim eſt verticem attollere, quid præ alijs ſe efferre, quid honores & dignitates

ſiden-

fidenter petere, quàm seipsum & finem suum ignorare? Quid superbis puluis & cinis? habent alicubi sacra oracula. Ferunt quendam, quia diu multũq. sectabatur aulam, tandem in morbum incidisse grauem, nec aliud ab eo, quàm vt, pro tot in eum meritis, videre eum posset, flagitasse, quem cum ille adijsset, vt nescio quo magistratu ipsum augeret, impensissimè postulauit: at cum ille, quid morituro vsui foret, quæsiuisset, vt meus, inquit, pulchro epitaphio honestetur tumulus. Verũ videamus, quo primæuos etiam parentes nostros deduxerit hæc ipsa ambitio. Suggestione Sathanæ, quod Dij futuri essent, tanquam œstro perciti, de arbore vetita comederunt, & dum altum sapere voluerunt, præcipites acti sunt, & non cœlituum, sed dæmonum socij extiterunt. Sic Deus Opt. Max. humilia respicit, & ruit qui se attolit. Quod vel in Lucifero illo Angelorum omniũ splendidissimo licuit cognouisse. Qui cũ in Aquilone

sedem

sedem suam ponere, & altissimo similem se voluisset efficere, in Barathrum inferni est deturbatus, in quo cum socijs perpetuis flammis cruciatur. Ambitionis enim pœna adeo est æqua, vt, vel apud illud tribunal æquitatis & miserationis plenum, veniam non potuerit adipisci. Nam cum ab eo, qui bonorum auctor est omnium, omnia proficiscantur, ingratus impiusque est, qui ea sibi tribuit, quæ tribuuntur diuinitati. Dat quippe cuncta Deus Opt. Max. animi grati gratis, sed subito aufert ab ingratis. Age, videamus, quot & quanta vitia ex hac vna ambitione enascantur. Etenim qui ambitiosus, idem fuerit auarus & luxuriosus, quantumuis hæc sibi ipsis repugnantia & vitia videantur contraria. Ac primum, qui ambitione flagrauerit, dilargitur quamplurima, & luxu est perditus, vnde demum cum egere cœperit, licet in fundo sera sit parsimonia, auarus, immò & alieni appetens esse incipit, citra omnem opinio-

opinionem probitatis. Vt enim quò tendunt ambitioſi, perueniant, in omnes occaſiones ſunt intentiſſimi multitudinis demulcendæ. Qualem olim Roma Cæſarem habuit, qui,vt rerum potiretur ſolus, congiarijs epulis, muneribus,libero populo,ipſo M.Tullio teſte,conſuetudinẽ attulit ſeruiendi. Hinc demum fraudes,in patriam proditiones, clandeſtina cum hoſtibus patriæ conſilia, & nullæ non molitiones in publicam ſequuntur libertatem. Vincere enim auet ambitio, vt quacumq; tandem arte obtineat principatum, ita vt illud vere ſit dictum, ſitim hydropici, & cupiditatem ambitioſi nunquam expleri. Quo enim plus potæ, eò magis ſitiuntur aquæ, ait quidam ingenioſus poëta. Qnod Macedonis Alexandri exemplum ſatis ſuperque fecit planum, qui,vno mundo debellato,moriens voluit alterum, quod, plures eſſe mundos, philoſophum, neſcio quem dixiſſe inaudiſſet. Meritò quidam, quid ambitio, & auaritia

ritia

ritia differrent, quæsitus: Auaritia huc, inquit, ori manum admouens, ambitio illuc, supra caput eandem eleuans, pertingit; & haud scio an temerè. Ambitio enim, non quo eatur, sed quo perueniatur secum ipsa quærit, nec media honesta, sed finem sine etiam æquis medijs cõsequi concupiscit. Quamobrem memorabile est, quod Pyrrho Epirotarum ambitioso accidit Regi, qui cum varia & ancipiti cura belli gerendi distineretur, accessit ad eum, inter fidos & charos amicos, fidissimus & charissimus Cineas, cuius plures vrbes eloquentia, quàm sua suorumque potentia cœpisse se gloriabatur, &, venia accepta, sic eum est affatus: Scisne tu, inquit, Pyrrhe, pace tua dixerim, quæ Romanorum est potentia? scio inquit, Benè habet, respondit. sed sit tua etiam maior, tandem aliquando victor quid facies? Vlterius, ait, pergam, & Siciliam traijciam. Verum & hac fac potiare, quid ages postremò? in medijs, inquit, die-
bus

astius ad Coligni sacrilegum corpus triplici colligatus funiculo, non est disruptus. Quod idem tam veteribus, quam nouis planum, si opus esset, faceremus exemplis etiam infinitis. Quid enim quam gratiam potius ambitio euertit? Quid Romani? Cum vtrobiq; Oratores noui, stulti, adolescentuli, ambitiosiq; prouenirent? Quid postremò afflixit Hungariam? Quid Germaniam? Quid Bohemiam. Quid in illo maximo totius Poloniæ conuentu ad Leopolim coacto tantum non Poloniam? Cum Sigismundus Rex Poloniæ, per campos volantes, vociferantesq; contra Senatores Equites, fusis ex fenestra arcis Leopolitanæ ad Deum precibus, magis quam vi aut consilio aliquo tandem sedauit? Ac de Hungaria quidem, eiusq; ciuium ambitione longius et, si libet, oratione excurramus. Habuit certè ciues mobiles & ambitiosos semper, quorum artibus, partibusq; non modo diuersis, sed & aduersis, nec modo animis, sed & Ca-

ſtris ſibi infeſtis,in hunc, quem vide-
mus, Turcicum incidit laniatum.
Dum enim alter alteri in petitionē
honorum præcurrit, dū externis Re-
gibus operam ſuam venditat, dum
potens imbecilliori iniuriam infert,
dum temporum mutationem, inter-
regnaq; deſiderat, primum quidem
ad ciuiles inciuiles admodum inter
ſe motus,poſtea ad vnius Turcæ Ty-
rānicum deuentum eſt dominatum.
Atq; vtinā tantū iā ſit finis. Terrent
Transyluaniæ veſtigia,qua appeten-
da Andreas (proh dolor) Cardinalis
Bathoreus, & Michael forte Vay-
uoda, ille vita, poſterior excidit im-
perio, anno vno vix circūacto. Vala-
chia vero vtraque tantum non qua-
draginta dominos habuit, anno ab
hinc quadrageſimo, à Deſpota illo,
quem Laſcus euexerat, ludimagi-
ſtro. Quæ omnia ambitioni adſcri-
buntur. Quærunt namq; ambitioſi
nouos perpetuo ſibi titulos & domi-
nos,& eius rei habent aliquando co-
lores ſpecioſos, ſed exitus funeſtiſſi-
mos.

nos. Ritus enim Græci, & animi Valachici diuisim quidem mali, sed coniunctim sunt pessimi. Cui hac tempestate malo, passim, & vbique occurendum etiã est ocyus, nec tam mens alicuius, num de patria benè mereri velit, spectanda, quam facultas, ne male possit, adimenda. Vnus enim homo, quid dico vnus, forsitan etiam nemo restituit nobis rem cunctando. Sed plures Rempub. quã nõ debebãt amiserũt vt ambiẽdo. Hinc olim etiã Athenis potentiorũ, ambitio forumq; homini lege latâ frenabatur cupiditas, quæ ad hũc modum obseruabatur. Quadrata coctilis forma, quæ Græcis ostracismus dicitur, certis temporibus solebat ciuibus distribui, in qua nomen inscribebatur, quod pro se cuiq; magis placebat, collectis verò cum inscriptionibus nominum coctilibus formis, si earũ aliqua millium sex numerum excedebat, is, cuius in ostracismis nomen frequentius reperiebatur, erat in exilium actus, vt saluus status totius es-

ſet ciuitatis. Vix enim eſt credibile, quàm occultò repat,& aliena inuadat ambitio,& quam multi hoc vitio excœcati, ſui, ſuæq; conditionis planè ſunt obliti. Non tam quippe poculo amatorio, amore quam ſui cœco quamplurimi faſcinantur. Quid Antigono? Quid Lyſimacho? Quid Ptolemæo? Quid reliquis Magni Alexandri ſucceſſoribus fuit melius & moderatius, antequam ad Reipub. gubernacula acceſsiſſent? Verum non tam quidem cito regiũ nomen & diadema conſecuti ſunt, quàm ſubito ſe, ſuoſque mores mutarunt,& propterea etiam non diuturni & ſtabiles extiterunt. Quod & de Neronis quinquennio; quo ſanctius nihil vulgò etiam circumfertur. Ab vno enim in aliud extremum perfacilis lapſus; quod fortuna rationem, Rexque monitorem raro eſt paſſus; Quo magis non ineptè quidam, hiſtriones quotidie plures veſtes,& Reges mutare dixit conſultores. Quos, ſi vt credibile eſt, iuſta aliqua de cauſa-

ſa reſpuerint,ſaltem mutos ſibi aſciſcant, & ijs rectè monentibus obediant, & denique ante omnia benè equitare diſcant. Quadrupes non nouit ſeſſorem, & excutit Regẽ etiã præpotentem. Obſeruatum autem eſt, ſicuti in herbis minimè fallacibus,quem fructum daturæ eſſent,maturæ cognoſci potuiſſe: ſic & in regibus,quorũ ingenia à naturali quadam indole,quàm ab educatione par fuerit magis metiri.Multũ educatio poteſt,interim natura, vt habet prouerbium, etiã furca pulſa, & pulſata recurrit. Quod in Alexandro Macedone patuit,qui ab Ariſtotele inſtitutus,nihilominus fuit fatuus, & ebrioſus. Nihil eum iuuerunt præcepta; & vt in tenera, ſic fuit ambitioſus ætate iam adulta. nam vt puer,num in ſtadio currere vellet, interrogatus,non niſi cum Regibus, reſponderat;ſic & moriens, vno debellato, alios vt dixi, mundos appetijt, & patri,quod multis geſtis nihil ſibi gerendum relinqueret,inuidit. Quip-

pe non modo externis;sed & patri inuidere fuerit ambitiosorum. Quod vel recentioribus etiam exemplis, si liceret,aut deceret,probaretur. Sed pergamus. Quid enim Iulius Cæsar, An, dominante adhuc Sulla,puer populum Romanum non adijt,& sacerdotium maximum ab eo non postulauit? Magna appetijt puer,summa obtinuit vir, & quod tener partu rijt animus, obtinuit adultus; qui idem,si ius violandum est, regnandi causa violandum esse, crebris sermonibus vsurpabat. Vetita enim appetimus natura, & libertati,quam quærimus ipsi, aliorum sumus infesti. Quid? illi, qui eum occiderunt, & qui occiso successerunt, nonne & ipsi ambitioni erant deditißimi? Nam quod Lepidus, Lepidus reuera factus repleuerit forum militibus,non tam Cæsaris interitus vindicãdi gratia,quam suæ cupiditatis explendæ causa dicebatur id tentauisse. Vt enim furum supplicia spectãdo furantur aliqui;sic cum ambitiosos occidi

vident,non propterea ambitioni suæ renuntiant; sed immo etiam vehemētius ambitione accenduntur. Quo loco Dionysij senioris exemplum notatu est non indignum, qui cum regni sui initio à coniuratis obsideretur, amicique, vt se dederet, hortarentur, bouem, quem fortè mactauerat, ostendit,& breuissimæ mortis metu, regnum se deserere nolle significauit. quid Aggrippina Neronis mater? An cuidam Vati, qui Neronē quem Imperatorem futurum,sed eā occisurum nuntiabat: Interficiat,inquit,modo imperet, non respondit? Est enim producēdæ vitæ minus aliquando studium, quam adipiscendi principatus. Iam vero quid de ijs, eorumque dixero similibus, qui non aliqua irritati iniuria,non adacti alicuius potentia,non vi,non necessitate compulsi,sed vna illa dominandi securius libidine perciti,sanctissima iura sanguinis, & necessitudinis alijs interimendis perruperunt? Nota sunt eius rei exempla satis super-

que plurima;ſed ex ſacris potiſsimũ codicibus prõpta, principio in apertum proferantur. Quid namq; Abimelech, vt ſeptuaginta occideret fratres, magis cõpulit, quam ambitio? Quid Zambrem, vt dominum ſuum interficeret? Quid Sellum, vt in prophetam Zachariam conſpiraret? Mitto exempla alia, quæ penè ſunt innumerabilia. Nam & Senacherib Aſsyriorum Rex, à duobus filijs ambitione excœcatis in tẽplo occiſus; & Simeon ad cœnã vocatus à Ptolemæo à Iob filio eſt interemptus. Atq; hæc quidem, & plura ex ſacris tantum codicibus, quantumuis aliquorum opinione humilis reddi videatur ijs oratio. Quid vero ex profanis hiſtorijs, quot & quanta exempla peterentur? Nam nulla tam arcta ſanguinis eſt coniunctio, quam cupiditas dominandi non perruperit; cum amor & dominatio Societatem non patiantur. Ac vt Romulum Vrbis conditorem fratricidam fuiſſe taceã, vt Iuſtinianum Imperatorẽ patrui ſui,
 vt

vt Andronicũ Alexij pupilli, vt Constantinum Pogonotum duorum fratrum interfectorem silentio prætercam. Quid hæc nostra, aut paulò superior ætas, Quid parricidiorum mater Turcia, parumne testata est, quam similium monstrorũ est, fuitq; semper feracissima? & quidem non sine causa. Nulla enim regni fides; & non parentum, eorumq; beneficiorum liberi existũt semper memores. Vnde Solymannus Turca, Mustapha filio interempto, proclamari iussit, Vnum Deum in cœlo, & vnum Cæsarem coli debere in imperio. quare non iniuria, omnes obsepiendas ambitioni vias censuerunt perpetuò sapientes; & qui ea flagrant, tanquam putida mẽbra, à cõmunione reliqui corporis abscindendos. Et quisquã dubitabit, quantus olim Populi Romani furor, quantum odium Pub. Cassij spectabatur, cui expetiti dominatus obfuit magis suspicio, quã triũphi duo, & res terra, mariq; gloriosè gestæ potuerunt profuisse? quẽ

Senatus Populusq; Romanus nō tantum occidendum, sed & cum domo ipsa stirpitus putauit euellendum? Nefas quippe, vel eorum ędificia extare pati, ex, & à quibus publica debebant funestari. Quid? An olim Tyberij, & Graccorum Romæ non maxima fuerat nobilitas? at nihilominus, quod conuellere statum voluerunt ciuitatis, supremus humanæ cōditionis honos illis est denegatus. Neq; enim honos, sed onus contumeliæ, malarum rerum, & consiliorū debetur auctori. Quid ego de Venetis maximis gubernandæ Reipub. artificibus dixero, qui de Martino Filetro duce, & de Francisco Balduino patricio Veneto, ob ambitiosa consilia, atq; scelera supplicium sumpserunt; & ne quis ex illorum familia magistratum habere posset, seuerissimas leges promulgarunt? Nō enim licuerit, decueritq;, eos munera publica administrare, qui in exitium patriæ ijs abutuntur. Itaque sapienter, vt omnia, Greci, & non

infe-

inferiores ijs Latini, seuerissimas, & leges,& pœnas in eos statuebant, qui vllam vel minimam suspicionē appetiti præbuisset principatus. Sensim enim sine sensu, tanquam in denso tecto incendium gliscit ambitio, sed tandem periculosius erumpit. Et Græci eos, qui præter morem magistratu diutius fungebantur, conspirationis accusabant, & Romani, qui prouinciam vltro tradere noluissent, Maiestatis reos censebant. Quippe multa multi, & initio petunt ima, vt facilius media, & tandem assequantur ipsa suprema. Testis eius rei Carolus in Gallia est Martellus; Testis in Bohemia Georgius Podebracius; Testis & Matthias in Hungaria Coruinus, aut Ioannes Comes Sepusius, qui omnes mediocri conditione orti, mediocribus non fuerunt contenti, quippe obliuiscitur sui, qui appetens vehementius est alieni. quo fiebat, vt vel auræ popularis studium tam suspectū olim, odiosumq; fuerit Romæ, vt quendam, qui aurā

populare captauerat, fumo extinxerit Imperator? Et quanquam Nembrot incredibilis magnitudinis turrim exstruxerat, Deus Opt. Max. oris sui vento nō dissipauit? similis Tyrrāno habetur ambitio, qui cū grassari inceperit, & vrbem, aut regnum aliquod expugnauerit; nullum finem imponit perbacchandi. Ad eum modum habet se & ambitio, quæ cū hominis mentem semel occupauerit; tanquam ex arce per omnia mēbra se diffundit, nec vlla vel minima quiete patitur ea potiri. quā olim nescio quis veterum patrum, malum subtile, virus secretum, occultam pestem, opificem doli, hypocrisis matrem, liuoris & palloris sociam, fontem vitiorum omnium scitè appellauit. Superbus enim, & ambitiosus sibi omnia deberi putat, cunctis detrahit, ventis se pascit, aliena notat, sua occultat vitia, & si quid boni præstiterit, non pietatis causa, sed vanæ gloriæ gratia videtur præstitisse. Neq; tamen omnis honorum impro-
 banda

banda est contentio, etiamsi eam ali cubi miserrimam Cicero dixerit. Nam multum debemus patriæ, cuius causa labores, & ipsos refugere non par est magistratus, & nō aliam quidem mercedem, tot difficultates, & pericula nostra magis desiderant, quam hanc vnicam gloriȩ, cuius cupiditatem pro se cuiq; optimo & generosissimo natura ingenerauit. quæ & ipsa nihil est aliud quàm iudiciū bonorum rectè de virtute sentientiū. quam qui adeptus est, næ ille sua virtute contentus, & vel in Phalaridis tauro erit beatus. Hanc, vt vmbra corpus, comitatur honos; onus autem est ambienti: cum magis refugientibus, quàm petentibus concedendus sit magistratus. Atq; hæc quidem non tam ex Lycȩo prompta, quàm Christi Opt. Max. spinis redimito capite exempla imitemur, qui supra omnes omnium nominum & conditionum homines, ordinesque maximus, & humillimus fuit, & asino insidens pompam derisit: qui non

aliud à nobis poscit, quam vt conscientiæ nostræ testimonio contenti simus, & falsum vulgi honorem, quẽ dat hodie, & aufert postridie, ne insectemur. Nam si vanæ & momẽtaneæ seruierimus gloriæ, videndum, ne summæ & sempiternæ possessione excidamus. Duarum ciuitatum ciuis, libertatis, & cœlestis, ac vulgi pro se quisq; expers, est laudationis. Quo etiã illibentius hoc vnico alijs placendi studio nihil agamus, & semper tribunalis illius, ad quod euocabimur, Christi memoriam retineamus. Iactationem Thrasones, quæstum caupones, publica bona habẽt sibi sapientes proposita. Quorum fidei, & integritati, si aliorum quoq; accesserit approbatio, hanc nihil minus respuant; sed non sibi, verum Deo Opt. Max. accepta omnia ferãt, qui gratuitum bonitatis præstat sensu florem. Quorum exemplum, & auctoritatem, alij atq; alij non inuiti sequantur. Est enim omnium virtutum æmulatio bona, sed optima

& fir-

& firmiſsima pietatis. cuius ſtudiũ Deo Opt. Max. in primis gratum, & ab eo vno præceptum, & nemini non probatum, & ipſi Reipub. eſt ſalutare. Verum enimuero prouidendum eſt, qui hanc gloriæ non intelligunt viam, ne ingrediantur aliam, & fortunatos natos ſe exiſtiment, quod vulgus hominum honore aliquo eos dignatur, qui nec ſcit, nec cupit virtutem honorare, & laudatione ſua tranquillitatem animi nequit præſtare. Acerbus eſt honos, onus cui inſit, animiq; cruciatus: & quis malefacti cõſcientia carcer eſt tetrior? Quæ pœna, quàm tuta etiam expaueſcere, vehementior? Non opes, non diuitiæ, non honores, & inertes aſſentatorum laudationes, ſed præclarè acta vita, hominem reddunt beatum. Terminus vitæ liberioris de eo cenſuræ, & aut mortis, aut ſalutis initium eſt ſempiternæ. Ac videamus (ſanè) quàm multum ad immortalitatem nominis profuerit animi magis moderatio, quàm vlla
alicuius

alicuius ambitio. Traianus Cæsar maximis in Germania gestis, confe-ctisq; rebus,cum sine põpa & triumpho Romam ingrederetur,nonne Caligula extitit admirabilior,qui innumerabilibus in Theutones ductis copijs,non modo nõ cæso, viso vix exercitu hostium, laureatus triumphauit? Quid? nonne Alexandri Seueri modestia non magis semper celebratur,quod,tum ob ætatem immaturã, tum verò etiam ob gesta titulo (vt aiebat)imparia,patris patriæ appellationem sibi dari vetuit? Commodi verò Imperatoris quam ridicula est ambitio,qui Romam de suo nomine Commodianam, & exercitus suos Commodianos, & diem deniq; ipsam, qua hæc fiebant, Commodianam appellauit? Quo,aut huic simili modo, cum Franciscum Galliarũ Regem tot titulis suis literis præfigendis terrere nescio quis voluisset, ille ex aduersum,nõ nisi parui cuiusdam cis Lutetiam oppidi dominum se appellauit. Non tituli,vituli,quod

aiunt, nos alunt; non statuæ plumbo inhærentes, quæ tandem vetustate concidunt; non triumphorum folia quæ arescunt, sed moderatus animus in admiratione victoris, & æterna in memoria, à rebus gestis profecta, ratio est triumphantis. Quo magis, quod ante diximus, præceps & lubrica omnino fugienda est ambitio, ex qua illa nostri omnium periculosissima nascitur obliuio, & proximorum contemptio, quam fœda alia vitia duo, nunc luxuria, nunc auaritia, regnorumq; pestes perpetuò comitantur. Quæ cum capitalia singillatim singula, quanto gregatim capitaliora fuerint vniuersa? O beatã Rempub. quæ talem pestem non viderit; Beatiorem, quæ maturè agnouerit; Beatissimam, quæ eiecerit. Sed finis sit. Neq; enim ominari malè, minus libet imprecari. Vos oro, Christiani Principes, vt quorum ambitionẽ, ciuilemq; doletis discordiam, eorũ exempla non amplius sequamini & diuinam in vos misericordiam to-

ties experti, patientiam lædere, & propter animaduersionis tarditatẽ, grauitatem, quàm leuitatem pœnæ velitis potius expectare.



REGIA

REGIA VIA NON NEMINI INVIA.



Ræcorum sermonibus tritum, vetus est prouerbiũ, eos, qui cytharœdi esse non poterant, auloedos factos fuisse, & qui in penitiora ædium intromitti non meruerant, atrienses seruos extitisse. Quo haud scio, si quid effingi similius dissimilibus sui his moribus, & temporibus potuerit. Etenim, qui virtutis, ingeniiq; gloria æquari aliis non possunt, partim ad indignas, partim ad perniciosas res animum adijciunt, vt sicuti Herostrati illius, Dianæ tẽplo succenso, sic & eorum nobilitetur improbitas: quippe multis studium laudis, sed non peræquè omnibus fuerit dignitatis. Quod tanto etiam appetunt vehementius, quanto ineptiarum suarũ plures sortiuntur præcones, & admiratores. Vnus

enim fatuus, qui cursitauerit, plures post se fecerit cursitare. Quarum quidem rerum, vanitatumq; omniũ, cum passim & vbique magna sit copia, tùm vero vna illa aula perpetuum est diuersorium: Ima enim quietem, summa experiuntur tempestatem. Cum enim aulicorum vita, ambitionis, & plena sit vanitatis, populari quadam aura, & simulandi, ac dissimulandi artificio perpetuò sustentatur, vsq; eo, vt hic vnus sapere, & intelligentia rerum alios videatur præcellere, qui his artibus, & partibus fuerit expletus, ac eruditus. Facilius enim in ore, quàm in pectore gerere est bonitatẽ. Quod quàm ab omni ratione & honestate alienũ sit, semperq; fuerit, quis ignorat? Etenim qui à vero semel deflexerit, hic ad periurium, vt & ad mendaciũ facilè adducitur: nec scio, cur periurio pœna, non autem imposita est falsitati. Nam si agrestes sunt, qui, vt vendant carius aliquid, per Deũ etiam ipsum iurauerint, quid non multo

multo agrestiores, immo & sacrilegi iudicandi; qui, nulla proposita spe, numine, nomineq; diuino abutuntur? Omnia quippe vitia fœda, sed ex quibus aut vtilitas, aut voluptas nulla, fuerint fœdissima. Quorum tamen tantus est numerus, vt, qui hac in parte moderatiores sunt, despicatui habeantur. In regno namq; turpitudinis, odium, & contemptus perpetuus est honestatis. Quid ita? inquies. Causam nescio quam afferam; sed tamen, quod sentio, dicam. Quia tota humanæ istius vitæ, aut potius aulæ fabula, vt plerunq; fit, vanitate peragitur, & rarus est, apud quem & res, & iudicium de rebus non corrumpatur. Est enim ignorantia scientiæ hostis, & fallacia ingenuitatis. Age enim videamus, quàm, potissimũ in aula, non tam virtute, quàm inuidia; non tàm regio candore, quàm maledico ore; non tàm veritate, quàm perpetuò certatur falsitate: & quàm multi, & magni reperiuntur ij, qui, non aliqua

aliqua bona concepta opinione, sed aut vtilitatis spe, aut metu potentiæ, aut empti pretio, vel prece corrupti, fauent quamplurimis. qui, vt rursus potentiorum gratia vel augentur, vel destituuntur, sic etiam studia hominũ erga se experiuntur. Nam in aula, vt turbinis, sic repentina fit cõmutatio voluntatis. Quid dicam, quod non modo sua, sed & aliena multi multos terrent potentia; & non nisi magna de se loquentibus, & magnificis titulis se ornantibus aures præstant? & cum ipsi ex infimis sint, inferioribus tamen se aduersantur? Tanta est impotentia mentis, mendici assurgentis. Nec mirum. Tanta namq; vulgi est cupiditas, vt partim huius eorum potentiæ metu, partim spe gratiæ, quidam ante portas stent, ante lucem veniant, nutui cuiusuis obediant, & ceu dominos, aut Tyrannos potius extimescant. Qua re quid profecerint, viderint. Sunt quippe in aula factiones, cùm sibi ipsæ infestæ, tum

ijs, qui contrariarum partium sunt, infestissimæ; quæ, non tam quid expediat Reipub. spectant, quàm suæ ambitioni, & commodis consulunt, & nunc hoc, nunc illud, deprimendis, vel erigendis alijs forte causantur. Fac ergo in occasionibus, factione vna in aula prædominante, vir aliquis bonus, & eruditus in eam veniat, an non subito extenuabitur; & homo nihili, ineptusq; dicetur? cum eadem illa factio, alterum suarum artium, partiumq; effectum, non modo verbis ornabit, sed, si adeo etiam poterit, honoribus, opibusq; augebit? Cuius rei causam si quæsieris, non aliam opinor, quàm superius commemoratam inuenias, quod in aula priuatam vtilitatem, quàm publicam magis factiosi respiciunt dignitatem: & simulatq; aliquis primum gratiæ locum in aula habuerit, non curat vt Principi honos, sed ne sibi sit onus alienæ potentiæ, si præualuerit, sustinendæ. Aulæ namq; artifices nolunt alicuius experiri cupidi-

piditatem, sed adimunt potius facultatem, sibi alijsq; pro se cuiq; nocendi. Quo fit, vt virtus in aula, gratiæ, ingenium pecuniæ, doctrina cedat insciẽtiæ, & sine honore & præmio omnia omnium studia conticescant: nullus deniq; nullo in ordine ordo, non ius, non fas maiorum, non æquitas reperiatur, & magna aulæ, & inferni sit similitudo; vocibus querulis perpetuò audiendis: aula etenim ac infernus officinæ sunt querelarum. Quibus malis extirpandis, prudentes Principes sic frena inijciant factionibus, vt à se, non ab ijs omnia dependere patiantur. Libratis enim nauis oneribus, & Respub. coæquatis factionibus commodius gubernatur. Cum nihil sit turpius, atq; etiam molestius, quàm earum factionum potentiæ metu, aliquos, vt dixi, ante lucem venire, ante ostiũ stare, abeuntes comitari, redeuntes venerari. Otiosis namq; obsequijs, quidam amittunt plus æquo temporis; & tribuenda summa minoribus aucto-

auctoritate, regalis fit diminutio maiestatis. Non nego, dandum & concedendum aliquid esse magistratibus, vt tanquam in clypeo tela, sic in ijs resideat inuidia, rebus in aula gubernandis; sed interim videndum, cui conferatur magistratus. Non enim ingratus fuerit, qui publicæ consulendo vtilitati, in distribuendis muneribus non satisfecerit omnium cupiditati. Præstat conqueri aliquandiu aliquos, quàm gemere perpetuo vniuersos. Latebris namque mentis nihil est occultius, & hominum (vt plerumque fit) animus abstrusos habet recessus. Qua in re limemus paulo subtilius in disquisitione veritatem, & num timidum homicidam, inuidum insanum, prodigũ auarum, insolentem abiectum tandem fieri non experiare. Quo enim alio, quàm perpetuo metu tot tantorumq; spectata fuit postremo immanitas? Quod in Nerone, Caligula, & alijs apparuit. Quid? Inuidus an non insanus fit, cum alieno bono, tan-

quam ſuo malo cruciatur? & deniq; prodigus, cum egere ipſe inceperit, an ſicuti equus, conſumpto pabulo, non inſidiatur alieno? tumidus vero & arrogans, vt fortuna flante inflatur, ſic reflante rurſus affligitur; & amicis contumelioſus, inimicis ſupplex eſt & abiectus? Non enim vnquam diuturna virtutis eſt ſimulatio, & nihil magis mentitur, quàm frons & oratio. Quo magis ſoli illi cordati & conſiderati Reges fuerint, qui in intimam conſuetudinem neminem admiſerint, niſi intimis animi ſenſibus prius eius exploratis. Multa enim ſine inuidia omittas; errores commiſſos facilius reprehendere, quàm corrigere queas, vt taceam arcana imperij, aut nulli, aut pauciſſimis eſſe credenda. Vulgus enim per ſe diuinare vult multa, & euulgat rurſus ſemel audita. Quod Ferdinandum illum Catholicum Hiſpaniarum Regem, & Carolum V. Imperatorem ferunt obſeruaſſe. Nam Ferdinandus ex conſilio diſcedens,

quid in eo conclusum fuisse, à pueris audiuit; & Carolus Granuellanum Cancellarium, num ea, quæ ipsi concrediderat, alicui communicauisset, aliquando interrogauit. Compertum quippe est, multa multos rimari, & quæ alicui principi in mentem veniunt, vulgo etiam peruestigari. Sed de prece pretioque ac nundinatione aulæ aliquid etiam dicamus, cuius causa Senator otio, quàm negotio, miles vsura, quàm præfectura, eques rastris, quàm castris potiùs delectatur, & quidem non temerè. Etenim sequi, assequare quo possis nihil, pœnituit non neminem. Interim, si vitiosus, qui prece, quanto deterior, qui pretio cõparatur magistratus? Nam quis non vendat, qui antea emerat, & impudens quis non sit, qui pudicitiam semel prostituerit? Vitia bona fide raro mansuescunt; & in conspiratione malorum boni etiam conticescunt. Sed age progrediamur. Quid enim? An & eorum non modicum reperias numerum, qui suis suorum-

non hic pes figendus eſt. Regna viris, non viri, hoc, vel illo genere, aut ſolo orti condecorantur. Vnde ille, cuias eſſet, quæſitus, reſpondit, ſe eſſe mundanum. Quod terrarum orbem, vrbem vnam apud ſe habeant fortes & ſapientes. Vt libet ergo genus tuum iactes, auro niteas, gemmis reſplendeas, ſpumantes equos, pretioſa ephippia, comitatum, ſatellites habeas, ſi ingenuo & liberaliter educato homine nihil dignum ſortiare, næ ego, diſtorto corpori ornamenta multum dixero profuiſſe. Corpus enim, quàm veſtis habet plus venuſtatis. Nec vero & ſumptuariam legem in bene morata Repub. non ſemper laudauero, qua vti ſciat ſua pro ſe quiſque re, & ſe ſuoſque non priuet relicta à maioribus facultate. Vti enim recte ſuo, expedit Reipub. perpetuò, & patrimoniorum naufragia facile fiunt, ſed difficulter homines tandem diteſcunt. Poſtremò, vt vixiſſe, ſic & illa vox miſerabilis eſt, habuiſſe. Iam & illud conſiderandum

venit, quod ſicuti athletæ, nautæ, architecti; ſic & heroum filij, non peræquè ſemper maiorum virtutis præſtantiam poſſunt adipiſci. Nam paternarum virtutum, vt virium hæreditas non perinde ad poſteros propagatur. Quinimmo videre plerunq; licuit, præſtantes auos degeneres nepotes habuiſſe, & rurſus, obſcura ortus ſui initia, præclariſſimis factis aliquos illuſtraſſe. Proborum autem virtutem imitandam, non nepotum luxuriam ſectandam, ſibi proponi homines arbitrentur. Ineptiæ enim triduo, virtus æuo durauerit ſempiterno. Sic olim P. Scipio Africani, ſic M. Tullius patris patriæ appellationem tulit; ſic nunc Græcus, nunc Latinus, nunc etiam Barbarus virtutis ſuæ commendationem non obſcuram reportauit. Peruelim autem videas, quàm ridiculum ſit, deſpici ob ignauiam ab aliquibus, quos poteras & debebas omni genere laudis gloriæque ſuperaſſe. Quid enim? An non ineptum fuerit, ſolos illos

nauos

nauos & præſtantes putare aulicos, qui geſticulationes dumtaxat quaſdam, & ſimijs quàm hominibus dicunt digniores; vt poplitem commode inflectere; vt caput denudare; vt choreas ducere, & omnia ac ſingula, quæ Voluptati, quàm neceſſitati magis ſeruiunt, ſciant præſtare? quaſi in ijs poſitum ſit aliquid, & quaſi alios ſubſannare, aut ambulonem agere, adulari, nutum & geſtum cuiuſque obſeruare non etiam ſit turpiſſimum. Qui tamen alicubi non modo dicuntur ingenioſiores, ſed etiam opibus & honoribus redduntur præſtantiores, & à populo, tanquam ab abſoluto quodam magiſtro prædicātur: cum tamen de ijs, quos in petitione vicerint, dici illud videatur potuiſſe. Non Catoni præturam, ſed Catonem præturæ eſſe negatum. Intereſt enim Reipub. vt homines dignitatibus, non illæ hominibus exquirātur. Ac ne multa, ſi ille, qui digno contulerit, non tam contuliſſe, quàm beneficium cenſeatur accepiſ-

ſe, ſatis perſuaſum eſſe debet, non alia magis re, quàm præpoſtera magiſtratuum diſtributione euerti Rempub. Sicuti enim humana corpora cibo, ſic virtus ſuo ſuſtentatur præmio; & vt mundum ſole, ſic viro præſtante eſt Rempub. priuauiſſe. Rectè cuidam petenti magiſtratum, reſponſum eſt, hæc non peti, ſed concedi eſſe ſolita; namque quibuſdam ornandis, ipſis detrahitur ornamentis; & viſi procul dubio imperio digni nonnulli fuiſſent, niſi imperaſſent. Hunc enim illuſtrauerit, illum obſcurauerit magiſtratus. Quo loco non poſſum non meminiſſe Conſtantinopolitani cuiuſdam Imperatoris, qui, quod promiſerat, tenuit, & quod tenuit, ſpem & rem reſtituit vniuerſis. Præceſſerant, inquit Hiſtoricus, clamores pauperum, ab iniurijs potentiorum excitati, pro quibus cum Imperator ſæpius ſcripſiſſet, ſed ſcribendo profeciſſet nihil, violento aliquo opus eſſe iudicauit remedio; nempe, vt vno aliquo ex potentiori-

bus

bus castigato, alij atque alij dicto essent audientes. Aegrotabat autem ille sæpius, & in turbam dare se non poterat, quo etiam querelæ imbecilliorum quotidie magis audiebantur, & ad eum, aut nunquam, aut perquàm raro deferebantur. Qui cum tandem meliusculè habere se cœpisset, & in publicum prodijsset, eius misericordiam, quotquot erant, implorabant, & ille ad proceres conuersus; Persuasum, inquit, habebam apud me, equites, vos iustitiam colere, & iniurios esse nemini debuisse; secus vero animaduerto: quo etiam magis estis monendi, vt quæ alieni ademistis, vltro reddere, quàm vos, facultatesque vestras adducere potius velitis in discrimen. Me enim Deus Opt. Max. nisi ego vos prius, propter impunita scelera castigabit. Sed difficile est cœptis desistere, & multitudinem sine pœna regere ad omnem licentiam effusam & effrenatam. Committebantur prioribus peiora; vetitis namque absti-

nere nesciunt humana pectora, exitus sui incerta. Itaque cum denuò egressus fuisset Cæsar, lamentis & querelis omnia apud eum personabant; adeo vt, partim tædio, partim misericordia ductus, in illa verba proruperit: Si me, inquit, Dei nutu & potestate Cæsarem creatum, eiusque auxilio fretum vobis imperare arbitramini, parete, parete, inquam, iustis mandatis meis; sin secus, alium vobis eligite, qui vobis vestræque nequitiæ blandiatur. Conticuere omnes, & coniectis in Cæsarem oculis, quid vel amplius ille, vel alij dixissent, præstolabantur. Tum quidam eorum, qui astabant, procerum, ad eum modum verba fecit. Fac, si sum dignus, me Vrbis præfectum agere, intra modicum efficiam tempus, vt capitis mei periculo, nulla amplius querela in hac vrbe audiatur. Qua pollicitatione gauisus Cæsar, cum præfectum vrbis ipsum constituisset, vt ei omnes parerent seuerissimè imperauit. Nec mora, cum insequenti die

ti die pro tribunali consedisset, quædam vidua à magistro equitum spoliata bonis, de accepta à potentiori iniuria grauissimè querebatur: iussit ille eum ad se accedere, sed tantum abest, vt paruerit, quod etiam nouam quandam iniuriam fecerit conquerenti; qua eadem die forte fortuna reus à Cæsare ad prandium fuit inuitatus, quo loci præfectus vrbis properat, & his, similibusque verbis alloquitur Imperatorem: Si in eo perstas, inquit, proposito, vt tenuiores à potentioribus vindicem, benè quidem habeat se; sin secus, scias me quoque detrectare ea, quæ omnibus audientibus mihi abs te sunt demandata. Cæsar, quod seipsum solio, quàm illum præfecti amoueret potius officio, contestatus, conuiuam à mensa sua abduci sinit, quem ille in curiam, quam aream vocant, introducens, diligenter examinauit, & cum iniuriam mulieri ab eo factam esse vidisset, bene prius multato fustibus, caput homini totum radi præ-

cepit; & per forum compitaque circumduci; ac ipsius facultates omnes mulieri tandem adiudicauit. Quo facto, nulli postea clamores, & querelæ Constantinopoli audiebantur. Multò enim metus, quàm spes valuerit plus Repub. administranda. Hæc Historicus. Quocirca regia via, nō nemini inuia, & hominum frustra dissimulatur nequitia. Quod si magistratus auro corrumpitur, aut scelera impunè alia de causa abire patitur, ipsum, nolit velit, omnis sceleris oportet confiteatur se auctorem. Nam multi figunt & refigunt leges, sed quo plures, eo sine executione fiunt in dies viliores. Quæ omnia ad vnam illam regiam pertinent viam, cui & magistratus insistat, & Rex magistratum eligat; namq; dando datur specimen intellectus. Deo quidem Opt. Max. hanc distribuendi, quod cuique debetur, scientiam, nouit exactius nemo. Sed vt in eam incumbit homo, ac quanto in terris maiorem obtinet potestatem, tantò

magis

magis diuinam in cœlis æmuletur bonitatem. Rectè velle distribuere munera, ingenuitatis, scienter, est æquitatis. Non temerè dicuntur à regendo Reges, quàm vt regant, & regnent ijs eorum pollicitationes. Promissis non stare, cunctis turpe, sed principibus est turpissimum. Quo magis etsi non nemini, tamen minime Regibus regia via inuia, sed potius est propria. Si namque apud Persas, qui mendacij reus fuerat, ter silere tota vita iubebatur, & ad publica munera non admittebatur, quanto eius crimen est illustrius, qui ad vanitatem loquendi adiunxerit etiam autoritatem imperandi? Verbum meum, Rex meus, solebat dicere nescio quis Imperator. Hinc & Gabaonitis illis salutem quidem attulisse mendacium, sed libertatem constat eripuisse. Quos cum iureiurando saluos fore Iosue promisisset, viuere quidem permisit, sed omnes tandem & singulos redegit in seruitutem; seruile quippe mendacium

est,

est, & iugo coerceri potest, nec iure non debet seruitutis. Qui enim falsitatem coram aliquo profert, maiorem se eo, licet immerito, docet, quod sua & ipsius conscientia abutatur. Quare & apud Aegyptios singulis singuli examinabantur annis, qua arte viuerent; qui vero mentiti fuerant, grauiter multabantur, vt pœna ad paucos, metus ad omnes pertineret. Nos qua pœna afficiamus eos, qui non annis, sed mensibus; non mensibus, sed diebus singulis mentiuntur; non victus causa, sed leuitatis animi gratia, sic vt pulchrè mẽtiri, & fari & facere in vsu prouerbij abierit consuetudinem? Quam rectè viderint ij, qui præ regia via viarum quærunt compendia, expertes virtutis & veritatis. In virtutem quidem non cadit turpitudo, nec heroicum animum assentatoria delectat laudatio; & omnes gnatones ac parasitos expedit ab aula amouisse. Quorum onerarias naues tres in Pontum olim misit, & pro ijs tres

tantum

tantum sapientes postulauit Imperator. Qui ex incredibilibus probata, ex veris suspecta, ex claris ambigua ex ignotis omnia faciunt sibi suisque principibus explorata, adeo vt, sicuti Cyrce Vlyssis socios in porcos poculo, sic Reges assentatorum mutet laudatio, & partim ad indignas, partim ad perniciosas res tanquam clauibus affigat & inuertat. Exempli causa. Si temperantem viderint Regem, inurbanum; si frugi, tenacem; si liberalem, prodigum; si fortem, temerarium; si propositi tenacem, dicunt esse dementatum. Sic olim his assentatorum laudationibus Sardanapalus Assyrius nere; sic Heliogabalus Romanus ex scortis exercitum exstruere; sic Alcibiades Græcus pudicitiam prostituere; sic Nero Caligula crudelitatem incepit exercere. Domestica enim Regum pestis nihil non corrumpit adulator. Quem nescio quis coruo peiorem, quod etiam voraret viuos, & alter bestijs cicuribus dixit deteriorem.

Quorum

Quorum artibus, tamquam quibuſdam faſcinationibus, deliquium animi incurri aliqui teſtificantur. Miſerius autem mente, quàm ægrum eſſe corpore; quorum alterum à vitio naturæ, alterum venit ab adulatore. Prudenter Ageſilaum, non tam quidem eorum, qui ſemper blandiebantur, quàm etiam eorum, qui pro re & tempore liberius loquebãtur, conſuetudo delectabat. Perpetuò enim ad voluptatem, & nunquam loqui ad veritatem, eſt, muti canis inſtar heri prodere ſalutem, ſic vt & Antigonus, cum, amiſſis comitibus, in cauponam quandam diuertiſſet, & à ruſticis, ea, quæ nunquam antea ab aulicis, audiuiſſet, chlamydem ſibi manè à ſuis allatam reſpuerit, quod ea indutus vix aliquãdo vera dicere & audire conſueuiſſet. Rari enim ſunt, qui Regibus, quod ſolent inferioribus, liberè loquantur. Vnde & Octauius Auguſtus adulatores odio habuit; & Seuerus ex aula eiecit; & Tyberius dominium appellari ſe minus

nus debere imperauit. Qui enim blandia didicerit semper audire, eum à veritate credibile est abhorrere; asperi monitores, quàm blandi assentatores maiorem habent commendationem. Interim tamen, non semper Regis animum, vt arcum tensum, & grauibus negotijs distentum dicam esse oportere. Relaxari animis, & dare se iucunditati, proderit vel nonnunquam, modo non desit delectus, ratio, atque discrimen. Namque, vt in exercitibus Duces, & in ciuitatibus rectores scitè quædam fingentes, militibus aut ciuibus salutem attulerunt suis, ita idem populis præstant aliquando etiam magistratus, Secus tamen iocari licuerit cum Regibus, apud quos tanquam apud ignem, nec proximè expedierit versari, nec etiam nimis remotè, & regia via, ac veritate, quàm falsitate potius commendari. Mendacio enim pœna, candori gloria est constituta. Vnde olim Pompeio, dicto magno, ad immortali-

tatem

tatem nominis nihil magis profuit; quàm non mentiri, neque pati mentientem. Adstipulatur enim mendacio, qui impunè falsitatem patitur apud se exerceri. Quod idem de Epaminunda Græco, Antonioque, & Alexandro Romano, ac denique de Hor, & Theona Abbatibus, scriptores memoriæ prodiderunt. Duabus enim potissimum rebus: benè faciendo alijs, & iusticia cum veritate tuenda, diuinitati assimilamur. Indignum denique aiebat Plato, esse, eodem illo ore, quo Deum adoraueris, falsa effari. Bonus enim ciuis non fuerit; qui, vel maximo proposito proposito præmio, secus sciat & loquatur. Sed interim tamen tacere nemini prohibetur. Neq; enim, quod libet, licet, & quod licet, audeat pro se quisque proferre in apertum. Multa, non suo loco, neque tempore, nec omnibus placuerint dicta, sed erunt, aut suspecta, aut ridicula, aut etiam odiosa. Vt enim non quælibet medica potio ventri est salutaris; sic nec

omne

omne tempus aperiendæ veritatis. Leuiter aſperſi aqua, gratias agimus, iraſcimur madidi facti inſolentia aſpergẽtis. Quo magis regia via non nemini inuia, & honori commodiſq; tuis nunquam velificatus fueris contraria. Sit denique aula expoliendorum ingeniorum officina, ſit altrix virtutis, ſit præſidium & domicilium honeſtatis, ſed longe abſit inuidẽtia, & omne conuiciandi ſtudium & obtrectatio. Poſtremò, non ſit hoſtis temporis, non iactura ætatis, non ſeries & materia egeſtatis. Qui namq; inueterauerit in aula, caula eum excipiet, veteri prouerbio. Abſtineat quiſque à fuco & mendacio, negotio non otio; dignitati non voluptati ancilletur. Quis præſentia & commutabilia temporum fortunæq; munera, cum rectè factorum comparauerit conſcientia? Quis inertem laudationem cum vera gloria? Quis hæc momentanea ad illa ſempiterna gaudia, quibus mortui reddemur viui, abſentes præſentes, triumphabi-

mus

mus consepulti. Det fructus aliquos simulatio, habeatur necessaria dissimulatio. Pulchrè mentiri, turpe & indignum non videatur. Quasi verò nesciamus, ingenuitate & candore nihil esse præstantius, & quos non auro cogere, non ferro subigere queas, officio, veritate, & iustitia amicos comparari. Hæc, hæc est verè Thesei fabulosum illud filum, ad implicitos huius vitæ errores explicandos; Hæc ad fauores principum consequendos; Hæc ad animos parandos; Hæc ad scopulos omnes inuidiæ proderit euitãdos; Hæc vna regia via nõ inuia nemini; Hac vna institerunt quique sapientissimi; Hæc vna altissimis defixa radicibus, nullo dimouetur loco, nullo consumitur æuo, nul lo subruitur artificio. Hanc qui se quitur ducem, accipit tandem m cem, portum, quem quæsierit, capi sortitur quod concupiscit. Hæc v lex & dux actionum humanarum Hæc Cynosura in hoc pelago mu nauigantium. Hæc maxima cus

iusti-

iustitiæ; Hæc firmamentum aulæ; Hæc præsidium est Reipub. Contra hanc valet & valebit nihil. Hæc in medijs lucet tenebris. Hæc non obfuscatur mendacijs, non euertitur artificijs falsitatis. Huic contrarij doctores, sorditati magistri, suspecti discipuli, explosi victores marcescunt viui, & pro gratia odium, pro laude vituperium, pro præmio supplicium referunt sempiternum.

FINIS.

CHRSTOPHORI VARSEVICII C. C.

De Origine Generis, & Nominis Poloni.

DIALOGVS.






ROMAE,

Apud Aloysium Zannettum 1601.

Superiorum Permissu.





Amplissimis viris,

CABRIELI ANDREAE

ET IOANNI

Fratribus Germanis,

COMITIBVS TENCINIIS.



Christophorus Varseuicius S.



Ntroduxi in Dialogum patruum vestrum magnum, magni nominis virum, simul cum Ioanne Comite Tarnouio, qui & ipse duorũ Regum, Poloniæ, & Lusitaniæ, belli quondam egerat Ducem,

& Regni Poloniæ primarium Senatorem. Atque hunc quidem dialogum, ſub veſtro prodire volui nomine in hoc quaſi quodam theatro Orbis, vrbisq; Romæ, ad Poloni ſeminis & nominis, veſtræq. gentis gloriam ſempiternam. Vos videritis, quomodo, & quàm nauiter eã honeſtetis, vt quidem opinio mea fert optimè. Namque eſt fuitque ſemper familia Tẽcinia tota Polonia antiquiſsima, vtpote, quæ vel Idololatrarum adhuc temporibus viguiſſe memoratur: dicenda porrò in Senatu ſententia adeo prudens, & libera, vt multa & magna in occaſionibus pro ſalute & digni-

tate publica dicatur præſtitiſſe. Quò, mea quidẽ ſententia, factũ, vt ſoli illi Tencinij triginta circiter Palatinos, & sũmos huius regni plures habuerint Senatores, quorum familiam Sigiſmundus I. Poloniæ Rex, Sigiſmundo Auguſto filio, maximopere commendauit; & Andrea Tencinio Caſtellano Cracouienſi adoleſcente ſemel creato, muſsitantibus, vt fit, Senatoribus, hoc ſibi in Tencinio licuiſſe reſpondit. In multis enim virtutis, quàm ætatis curſum videre eſt celeriorem. Quorum quidem maiorum veſtrorũ inſiſtentes veſtigijs, vtinam & vos eò, quò par eſt, perueniatis. Tar-

nouij copijs ductādis, Tencinij consilijs præstandis, semper in Polona Repub. tenuerunt principatum: vt tot tantisq. familijs alijs, meritis in hoc regnum claris nihil per me detrahatur. Quamquam interim etiā Auus vester Andreas Tencinius Castellanus Cracouiensis, ad Viennæ à Turcis oppugnationem, aliquot centena Polonorū suis sumptibus in expeditionem duxit, & non nisi ad Seretam infœliciter dimicauit. Sed vt sanitas conualescenti est iucundior, sic & fœlicitas desiderata longè est non nemini gratior, quàm numquam omnino violata. Magna certè expectatio est

Tencinij ſeminis, atque nominis, vtpote qui etiam nuper nauanda patriæ in quodam prælio opera vos audierim celebrari. Quod vt vobis proprium, & perpetuum Deus Opt. Max. eſſe velit, ſupplex eum precor, & vobis hoc nomine plurimùm gratulor, ac vnum illud libere loquor, Tencinios, & auctoritate ſumma, & patronos fuiſſe ſemper in Polonia libertatis, ſic, vt meorum quoque à Tencinijs adiutorum facere mentionem oporteat me, haud ita temere. Nã cum Iacobũ, auũ meũ, Stanislaus Tencinius Rußiæ Palatinus, contra Conradum Maſſouiæ Ducem, magno cum co-

mitatu adiuturus in Masſouiã veniſſet, effecit ille certè, vt efferueſcentem Principis cupiditatem præſentia ſua frenaret, et quanta Tenciniorũ toto regno auctoritas eſſet, nõ obſcurè demonſtraret. Quæ adeo Tenciniorum in Varſeuicios beneuolentia ad mea vſque tempora perdurauit. Ac vt alia alioſque prætercam, Stanislaus Tencinius Cracouiæ Palatinus, eius, qui hic loquitur, filius, legatus in Turciã profecturus, Andreã Varſeuicium fratrem meum habere ſecum voluit, & cum cóniugis ſuæ vxorẽ, Nicolao Trzebochouio Regio Conſiliario, Camerarioque intimo, Varſo-

uiam deportaret ad Castellanũ Varsauiensem meum patrem diuertit, & vt cum illo, tanquã Senator regni, ad Regem proficisceretur, postulauit. Quod ego quoque maiorum institutum secutus, Tencinios, quos noueram, noueram autem plurimos, semper colui, & hunc demum quantulumcumq; dialogum meum vobis eorum posteris non dubitanter dedicandum iudicaui. Qui quidem, vt spero, & opto fore, non iniucundus cognitu est futurus, ob linguæ Slauonicæ, & Polonicæ virtutis commendationem, expectationemq; singularem. Quæ tanta est, vt non sine voluptare,

idioma Slauonicum calentem, & ſcienter loquentem viderim nuper, Illuſtr.& Excell.Io. Franciſci Aldobrandini, qui ſexagenarius ſenex, Pontificis in Turcā exercitum non grauatim tertio ducit (reducat vtinam, vt antea, victor) magnæ expectationis maiorem natu filium, quo, pro re & occaſione, cum admiratione magna, magnis cum viris & negotijs proculdubio vtatur. Fauet Pont. Max. Polonis omnibus, ſed maximè virtute & genere nobilibus: qui vt in Slauonica lingua fortitudine & amplitudine imperij tenent principatum, ſic rurſus vobis Tencinijs inter omnes om-

nem

nem deferri par fuerit magistratum. Magna antiquæ legis, non minor ratio generis habetur antiquitatis. Quod & in Perſide, cuius Regis legatos Roma nũc habet, obſeruari ferunt. Sed vos etiam videritis, vt linguam & patriam præſtetis incolumẽ, ne, ſicuti Vngaros linguæ, & gentis reliquias paruas feciſſe, ſic, cũ vobis adſunt omnia, vos vobis pudeat defuiſſe. Valete. Deus Opt. Max. florentes & diuturnos lumina patriæ vos tueatur, & conſeruet. Rom. XVIII. April. M. CDI.

CHRISTOPHORI VARSEVICII.

De origine Generis, & Nominis Poloni Dialogus.



Aria & multiplex multorum opinio est, de origine Poloni seminis, & nominis. Vt enim omnes omnium appellationum gentes, & nationes; sic & Poloni variè sua deducunt principia, & pro se quisque vetustissimus clarissimusq. esse, & ortus sui auctores desiderat semper habere. Quod num ita, vel secus sit, antiquitatis memoriam, ex qua id elicias, breuiter repetamus. Nam primum quidem Romani

mani ad Martem & Venerē Deos genus suum retulerunt: & olim etiam Persæ Persea Iouis filium esse dixerūt: & denique Thraces ortus sui auctorem, Martem eundē, quē Romani, iactauerunt. Sic demū & Poloni, ex Scythis siue Tartaris alij: alij ex Germanis: ex Russis, & ex Slauis deniq. alij genus suum dicunt traxisse: & postremò ipsi rerum ab ijs gestarum scriptores inter se cōtigit variasse. Nihil enim est magis difficile, quàm vetustate obruta disquisitio veritatis. Qua de re nō possū nō recordari sermonis duorū in Polonia præstantium virorum, etiam defunctorum quorum alter Ioannes Comes Tarnouius Castellanus Cracouiensis: Ioannes Comes Tencinius Palatinus Sendomiriēsis alter dicebatur. Quos quoniam audieram puer, visum operæ precium est, eius collocutionis, si

non

non omnia, capita quidem notare præcipua,& mãdare literis ad memoriam posteritatis. Quod eò etiã facio libẽtius,quò hodie,quàm ambigere de occultis, variè & multipliciter disceptare magis video homines cõsueuisse, & quod Tarnouio, & Tencinio sua ætate Senator alter vix fuerit grauior, & virtute præstantior, meritoque præsidia & ornamenta huius regni, vt erant, ab omnibus dicerentur. Fuit quippe Tarnouio natura eximia, & illustris, & maiorũ genus quasi quoddam decus & irritamentum virtutis. quo, cum ratio conformatioq. doctrinæ, & magnus magnarum rerũ vsus accesserint, facile est consecutus, vt pacis belliq. tẽporibus maxima ipsius enituerit prudẽtia, nec modo cum excellẽtibus viris sua suorumq. memoria, verum etiam cum ipsa antiquitatis gloria decer-

decertauerit. Rarissimi enim sunt, qui duorum disiunctissimorum potentissimorumq. Poloniæ, & Lusitaniæ Regũ copiarum belli fuerint duces, & clarissimi bellatores. Quod de Ioanne Comite Tarnouio Polono, non solum eius epitaphium, sed ipsi etiam illorum regnorum scriptores testificantur. Tencinium vero, præter familiæ amplitudinem & splendorem, grauitas libertasq. Senatoria mirificè commendabat, vtpote qui semper & vbique propositi tenax, nec tam iuris, quàm iustitiæ consultus habebatur. Quos ego, ne, inquam, & inquit, sæpius interponerent, corã inter se loquentes in hũc dialogũ introduxi, vt à viris tam commemorabilibus profecta, haberet grauitatis plus oratio, & iuuentutis studia ad virtutem magis accenderentur. Exemplis enim maiorũ

& rerum gestarum antiquitus gloria ad æmulationem plurimi excitantur. Sed iam ipsos senatus principes, & Reipub. viros, de mirandis illis antiquitatis mysterijs, pristinæq. virtutis, & originis laudibus conferentes inter se audiamus.
Tarnouius. Mirum qui fiat Tencini, quòd in tot tantisq. rerum nostrarum scriptoribus, ne vnum quidem reperias, qui certi aliquid cõcludat, & ostendat, vnde genus, & originem nostram potissimum ducamus. Næ haud ego Academicis multo dixerim dissimiles fuisse, qui in vtramq. partem de rebus solebant differere; sed expediret tandem certi etiam aliquid re ipsa, & veritate declarare. Otiosa enim disputatio, immò & periculi est plena, nisi ex ea lux, tanquam è silice ignis, eliciatur veritatis.
Tencinius. Sic est Tarnoui, sed

rectè omnia ponderaueris, & aliarum quoque gentium & nationum historicos intueare; An nostros ijs compares? Nam vt præteream, quod ipsa antiquitas multum habet auctoritatis, facultas ijs dicendi est tanta, quanta in nostrorum nemine. Neque enim, vt Latinos tantũ proferam, qui populi Romani inuicti, inuicto calamo res gestas scripsit, ignotus est Liuius, non in Romana princeps historia Salustius, non, Confessione etiam inimicorum, scribendis commentarijs verax & rectus Cæsar, non Cornelius Tacitus, tacitus, minimè arcanis imperij euulgandis. Sed omittamus Græcos, & Latinos veteres, ac recentiores tantum Italos, Gallosve videamus: En ante alios Guiciardinum, vt Italicè; aut Comineũ, vt Gallicè scripserit. Nam de Iouio, qui tantũ e-

uentus rerum, secus descripsit consilia principum, nihil libet dicere. Omnes quidem isti præ nostris sũt eruntque perpetuò admirandi. Ac noster Martinus Bielscius nullo pacto est illis conferendus, qui consiliis explicandis sterilis, non nisi quãdo Istula inundauerat, aut platea aliqua Cracouiæ, aut quando, ob Iudaismũ, Malcheroua exusta est, scribit, ne alios historiarum nostrarum scriptores magis vetustos memoremus, Cadlubkos, Dlugoschos Miechouitas, Baskos, Mierzuas, Vapouium, & alios, bonos quidem illos viros, sed ineptos magistros latinitatis, & haud scio, an veritatis. Tarnou. Quo loco vero Cromerum posueris? Tencin. Bono, atque etiam inter nostros historicos, summo. Nescio enim si quæ natio altera (Aemilium Gallicæ historiæ scriptorem excipio)

Cro-

Cromero habuerit meliorem. Sed & is (quod de Homero dictum est) dormitat vel nonnunquam. Nam primum quidem de origine gentis Polonæ tãtum disputat, & concludit nihil; deinde in multis etiã aliis rebus hallucinatus est alicubi, siue quod nesciuerit, siue quod noluerit fateri veritatem. Historici autem est nihil falsi velle, nec veri non audere. Tarnou. Quid ita? Tencin. Plura addam, si libet. An enim & illius sacelli Cromerus meminit, quod à victoria illa Polonorũ maximè memorabili de Crucigeris relata fuit exstructum, & in hanc diem conspicitur? An de Abrahamo Zbãscio, Regis Poloniæ legato in Moschouia violato. An de Georgio Iezofscio ibidem excruciato. An de Ducibus quibusdam Lituanici nominis à Cazimiro III. Rege capitali Vinnæ affectis supplicio,

anno

anno supra mille quadringẽtesimo & octogesimo secundo, ne alia tot tãtaq. à Cromero præterita memo rem, & vt illud taceam, quod, plebeius cum sit, nobilitati parum æquus, & quod denique in solo Polonico natus, Germanis, & quod Germanico genere, Polonis est suspectus. Quod si vero hos errores Cromerus tanquam posterior commisit, quid fecerunt alij, qui multo magis, quam ille, fuerunt ineruditi? Quos nõ tã ob ingenii excellentiam, & facultatẽ scribendi admiramur, quã quod operã hac in parte patriæ deesse noluerint suã laudamus, & nomine vel hoc ipso ad scribendũ excitamus. Nemo.n. ferè historicorũ est, qui nõ legatur, vt ineptus & obscurus habeatur. Maximè verò apud nos, qui in tanta rerum gestarum magnitudine magna penuria laboramus Scri-

torum etiã tenuiorum. Plurimum autem interest, pedisequam Euangelij, adiutricem gubernandi, thesaurũ vetustatis, decus nominis, exactam habere historiam fideliter consignatam literis, ad memoriam posteritatis. Qua quæ gens aut natio caruerit, quantum damni & ignominiæ inustũ illi sit, quis ignorat? Etenim si gloriosum fuerit agere scribẽda, scribere legẽda certe magis necessariũ. Quæ enim fortiter gesseris, vnius ætatis sunt; quæ literis cõsignaueris nunquam senescunt. Vnde nescio quis historographum cũ minuto imperatore conferri posse aiebat vel nonnumquam. Difficile enim est aciem in hostem instruere, sed non multo facilius à prælio instructam dicendo explicare. Fallax enim sæpe est visus, sed maximè in conflictibus quos exactè describere operosum,

obſeruare eſt neceſſarium. Multa, enim in exemplum, ſed pugnarum contentiones plerumq. rapiuntur. Vnde olim Græci, quendam, qui Dux belli fuerat, in exilium egerũt, ſcriptorem rerum geſtarum ab exilio reuocarunt. Age, videamus Saracenos, aut alias barbaras gentes, & nationes, num tot tantiſq. rebus à ſe geſtis parem retulerint gloriã, & nominis ſeminiſq. ſui recordationem ſempiternam. Nihil profectò minus. Quod non aliunde venit, niſi quod diſerti & elegãtes defuerunt eis ſcriptores, qui, quod ipſi terra mariq. geſſerant, literis conſignaſſent. Facile enim rebus irrepit obliuio, niſi literarum monimentis ad poſteros mandentur, Quid Perſæ? An non & ipſi, qui & quales ſint, & quem ordinem ſeruent, familiaſque & homines vt diſtinctos habeant, ſatis innotuerunt? Nam cer-

tum est, ordinem Channorum esse omnibus apud eos superiorem, postea Sultanorum, siue nobilium, deinde Corchiorum, hoc est militum, ac denique Sclopettariorum, Mercatorum postremum, qui præfertur quidem tribus his alijs, sed non subrogatur. Rex enim facultatem habet ad summa aliquẽ euehendi, sed nihilominus honos magnus defertur antiquitati. Quæ omnia in obscuro latent, inopia scriptorum, præsertim Latinorum. Iam vero Græciam ingeniorum matrem intueamur. An ingeniorum frequentia, & doctrinæ, humanitatisq. studio non sic est illustrata, vt de ipsius vrbe Athenis etiam inter Deos certamen fuisse, antiqui fabulentur? Quid caput orbis, & imperij domicilium Roma? an per M. Tullium nõ est assecuta, vt Romanum imperiũ iampridem mutatum stet adhuc
quasi

quaſi incolume linguæ Romanæ; & ipſius monimentorum munere? & adeo longius latiuſq; quàm Romulo fratricida, Petri Romani, eiuſque ſucceſſorum beneficio, ipſum nomen Romanum ſit propagatum? Magna igitur talibus ingeniis detur gratia, qui abſentes præſentes; mortui viuos delectant, & ab interitu vindicant, & tuentur. Tarnou. Benè ſe habet, Tencini; ſed me mouet rei difficultas ipſa; cum tam abſtruſa, & ab hominum memoria remota, in lucem aſpectumq; proferre, non tàm velle, quàm ſcire pene incredibile factu videatur? Tencin. Quid non ſit? Enimvero ignoramus nihil tam eſſe difficile, quod rimando non ſit perueſtigabile, & nihil tam obſoletum, quod luce hiſtoriarum non illuſtretur: quaſi vero obſcurum eſſe poſſit aut debeat, vnde Poloni ſuum ortum,

principiaq; ducant? Tarnou. Adeo, mihi crede, durum & incertum fuerit, vt hactenus nihil adhuc ferè cõperti, exploratiq. habeamus. Nam quantumuis licet coniecturæ non desunt, ita tamen omnia in obscuro latẽt, vt vel de Slauis ipsis, à quibus maior scriptorum pars Polonos ortos esse autumat, diuersas opiniones tres memoriæ traditas sortiamur. Alii enim Slauorum genus, ab ipso vsq. Iapeto repetunt: & ex Iapeto, Ia[illegible]ũ procreatũ, ex hoc Philarã, ex illo porro Alanũ, hinc infinitos alios, vsq. ad Alanũ secundũ, qui primus ex Asia in Europa domiciliũ fixit, fuisse memorant: cuius filiũ Vandalũ natu maximũ, Vistulæ, & Polonis, nomen indidisse putant. Alij aũt ab hoc quidẽ, & eodẽ Iapeto, & Iauano, sed per Elisam filium, originẽ Slauorũ deriuare non dubitãt: & inde à Iauano, siue Iono, Iani & Iuani

nominibus, sæpius quã aliis, Slauos
vti testãtur. Alii porrò, Slauos & Vã
dalos eosdẽ esse, idcirco existimãt,
quòd Slaui Vindi, seu Venedi à Ger
manis vocẽtur. Nec mirũ, tã varia,
& incerta ea de re circumferri. Cũ
enim Slaui literas, literatosq. pari-
ter neglexissent: & neque otii, ad stu
dia humanitatis recolenda, satis ha-
buissent, facilè euenit, vt barbari in-
ter barbaros sedentes, & cum fini-
timis, non solùm animis, verùm etiã
armis dissidentes, res memorabiles
gessisse, quàm gestas scripsisse ma-
gis videantur. Tencin. Atqui ego
nõ tàm ex Slauis, quàm, aut ex Scy-
this, aut ex Germanis ortos esse nos
aliquando audiui. Tarnou. Errant,
qui ita existimant: Polonos, nec Scy
thas, nec Germanos esse, aut illo
vicissim, si nihil aliud, ipsa Polono-
rum patria, & insita vox refellit: in
qua nulla antiqua vestigia Scythic

aut

aut Germanici ſermonis deprehendas. Nihil autem tàm intimum, & proprium omnibus eſt, quàm linguæ vis & commercium. Hæc infici aliquo modo poteſt, euelli non poteſt. Hæc ſtirpem & originem ſuam perpetuò redolet. Hæc vnde ſemel effluxit, eo nõ inuita recurrit. Quid enim? Italica, Gallica, & Hiſpanica natio, nonne inter ſe variæ diuerſæq. habentur? inter quas, non finibus, ſed legibus, nõ faciebus, ſed moribus, non imperio ſed ingenio magnum eſt diſcrimen. Hos tamen omnes, ex vno & eodem fonte emanare, & os atque verba eorũ, ex lingua Latina ſcaturire, & varios tanquam in riuos deduci, nemo negabit. præſertim cum præter cæteras linguas, Hiſpanica adeo cognata & ſimilis Latinitati ſit, vt Ferdinãdus Cæſar quendam habuerit, qui Latinam epiſtolam ab Hiſpano rudi, &

Hiſpanicam à linguæ Latinæ inſciẽte, adaptatis concinnatiſq. locutionibus, legi & intelligi poſſe oſtẽderit. Quò magis Polonos, nec Scythas, neque Germanos eſſe, facilè apparet: vtpote cum nihil minus, quàm Scythicum aut Germanicum aliquid eorum ſermo aut mores redoleãt: ipſiq. tùm lingua, tùm facie, tùm moribus conſuetudinibuſque differant, & quaſi etiam à ſe abhorreant. Quippe multis multi non tam cito viſi, inuiſi quàm extiterunt de repẽte. Sed vt quidem Germani per Francos Galliam, per Saxones Britaniam, per Gottos Hiſpaniam, per Cymbros Italiam, per Lõgobardos infeſtarunt Pannoniam: ſic & in Bohemiam, ac Poloniam voluerunt videri ius neſcio quod habuiſſe, maxime cum in Polonia quædã vrbes à Germanis ædificatæ, & ius Theuthonicũ introductum, & concionatores

Ger-

Germanici fuiſſe olim memorētur. Sed errant,qui Poloniā à Germanis conditā exiſtimāt;aut ſi hoc factū, Polonica pecunia certè conductis artificibus. Ac credibilius eſt eos à Slauis veniſſe, & vt noſtri annales habent,Czechum,Bohemiā, ac Lechum Poloniam condidiſſe, quandoquidem, & eorum Principes Vladislai, Boleslai, Venceslai appellati antiquitus ſemper ſunt, & fuerunt, quod ex Slauico idiomate, famæ potentes vel pollentes interpretamur. Tencin. Hi porrò Slaui vnde ſuam traxerunt originem? Tarnou. De origine gentium fuit ſemper difficile iudiciū, ſed de Slauis eſt difficillimum. Nam vt S.Hieronymus Slauus fuerit,vix ab aliquot annorū cētenis, literas Slaui recte nouerunt, nec eas ita coluerunt, vt rerum à ſe, ſuiſq. geſtarum, memoriam fide-

liter memoriæ mandare potuerint. Non cuiusuis enim eſt, hiſtoriam ſcribere, & eam tãquã magiſtram parcè ad vſum, & vtilitatem publicam adaptare. Et eſt certè natura quodãmodo comparatum, vt in rebus ad nutum fluentibus, præteritarum obliuio, præſentium ſatietas, futurarum negligentia facile obrepat hominibus; nec aut proſpicere ſapienter, aut agere conſtanter, aut denique loqui, & ſcribere eleganter multi velle & poſſe videantur. Slaui autem quàm admirabili fælicitate, & incredibili celeritate longè latèque diffuſi ſint, quis non intelligit? Nam per immenſa terrarum ſpatia Latinè & Slauonicè loquare, alijs linguis ſecus. Tencin. Sed nihilominus tamen ortus eorum non eſt incognitus. Tarnou. Incognitus non eſt, ſed nec certus ac definitus

qui-

quidem. Tu autem ſcis, quid ſcire & opinari differant, & cum quanto exiſtimationis periculo, nouiquid afferatur à Senatore viro, & maximè ſene. Dicam tamen ea de re aliquid, quandoquidem ita deſideras, & quæ à maioribus natu olim etiam audiui, non inuitus communicabo. Cum Chriſti Opt. Max. titulo, triplex linguarum genus, Hebraicum, Græcum, & Latinum proponatur, quod hæ linguæ tres, omnes omnium nominum linguas contineant, quibus Rex Regum, & dominus cunctarum gentium & linguarum in illo titulo renuntiatur, quæſitum eſt à quamplurimis; Slauorum lingua, ex tribus cui potiſſimum ſubiungatur. At vero, qui literas callent Græcas, lingua Græca Slauam eſſe ortam, affirmare non dubitant, propterea, quòd in ea, obſcuris qui

dem illis, sed non omnino tamen dubijs vestigijs, vim & proprietatem Græcã sit cognoscere, & quòd ingenia, mores, & cultus vitæ, tàm Slauorum, quàm Polonorum, non admodum sint dissimilia, & cũ his potius, quàm cũ nationibus alijs æquari posse videantur. Idem enim naturale stirpis vtriusque est bonum, idem cognoscendi omnia studium, idem acumen ingenij, eadem vis consilij; par quoque humanitas, & non multum differt cũ leuitate morum coniuncta facilitas. Quid comessationes illæ? Quid conuiuia? Quid mos poscendi poculis, ac inter compotandũ comprecandi bona? Nonne inter Gręcos natos à Slauonibus auctus, & à Polonis demum est continuatus? Qui quidem Poloni, sicuti Græcorum, & Slauonum receperũt vitia, ita vtinam & virtutem (vt qui-

quidem faciunt) imitentur. Sed vereor, vt libertate concionum & populari seditione perijt olim Græcia, ne his ijsdem malis ruat & Polonia. Quorum enim aliquis facta imitatur, eorundem etiam exitum solet referre. Habebant hoc autẽ Slauoni, vt comitia Hungarorum crebris nuntijs de incursionibus Turcarum, quibus Hungari fidem non habebant, implerent, & impetum eorum omnium fortissimè sustinerent, adeo vt & nunc etiam Slaui, qui à Turcis debellantur, aliò commigrent, & Mahometanum iugum sibi imponi non patiãtur. Habiti enim Slaui, & qui ex ijs orti Dalmatæ, semper sunt bellicosissimi, sicut & M. Tullius testatur; Dij malè, inquit, faciant Dalmatis, habiti enim semper sunt bellicosi. Vnde & eorum lingua fuit alias clarissima; quam Carolus

lus, eius nominis quartus, cum Latina & Germanica, omnibus Cæsaribus cognitu necessariam censuit Imperator. & quàm eandem Slauoniam, cùm multi alij Hungariæ Reges, tùm Vladislaus Polonus ad Varnam cæsus, originem gentis suæ ex ea agnoscens, miris immunitatibus insigniuit? Omnia enim regna suo nomine regna, vna illa Hungaria archiregnum antiquitus dicebatur; quod Slauoniam, & Croatiam duo alia continebat. Sed vt ad propositum reuertar. Magna linguæ & Slauonicæ gentis est, fuitq. semper opinio, qui Philippo patre, & Alexandro Magno eius filio Ducibus, orbe terrarum subacto, à Slaua, hoc est eorum vocabulo dicti sunt, fama. Vnde Vladislai, & Boleslai, eorum, vt dixi, Reges fuerunt etiam appellati, cui nomini, vt tota natio Slaui-

ca, sic & illi quoque in Polonia Principes mirificè responderunt. Nam Boleslaus Ciziuousti Poloniæ Rex, quadraginta victorias, & Vladislaus Lagello habuit plures, & vtinam quidem ita nunc Reges nostri Turcas, vt ille, vel vna minaci legatione missa, Ottomanici nominis terruit. Imperatores, quando, Sigismundo Cæsare, eodemq. Hungariæ & Poloniæ Rege peregre in Constantiense Concilium profecto, omnes illas Hungariæ arces, quas Amurates Turca occupauerat, Hungaris restitui fecit, & si secus fuisset factum, socio regno se non defuturum apertè denuntiauit. Quid? Turcarum tyranni, an alio vnquam milite tot gentes & nationes, quàm Slauonico subiungarunt, qui ex Epiro, ex Macedonia, ex Dalmatia, ex Illyrico à pueris educantur? A

quibus quidem Slauis, & Polonos ortos, varij & peruetusti scriptores, adeoq. lingua ipsa ac idioma nostrum testatur, quod Bohemis, Polonis, & Ruthenis, variatis licet inter se modis, cum Slauis est communis; hoc autem cum Macedonibus & Dalmatis, & cum reliquis seminis nominisq. eiusdem. Quos cum patriæ sedes non caperent, coacti sunt, vel propter angustias soli, vel propter metum & terrorem belli, qui, Alexandro Magno mortuo, magnus in Slauis fuit, in ea migrare loca, quæ & ad victus necessitatem, & ad securitatem vitæ visa ijs sunt meliora. Venter. n. ingenij, & necessitas magistra est na uitatis. Quod ita & nō secus habere, habuisseq. semper se, tùm lingua, vt dixi, ac idioma ipsum, quo nihil est certius, tùm Alexandri Magni Slauonicæ genti datum

teſtatur priuilegium, quod aureis literis ſcriptum, in Archiuo Turcico, ſicut & illa omnia,quæ à clade Varnenſi perierant, Polonica munimenta aiunt aſſeruari; & quod ipſum priuilegium paſſim in Italia legimus impreſſum & per uulgatũ, vt Cromerus, neſcio qua cauſa, aut ratione motus habeat ſuſpectum. Eſt autem eiuſmodi, quo, à Balthico ad Mare Adriaticum,regiones &prouinciæ omnes, fidei, & victoriæ ergò, Slauorum genti, tanquam comiti, & adiutrici tribuuntur. quæ præſtanti virtute, fortitudineq. clara, non tantum regionem, ſed & nomen ipſum Sarmatarum poſteris reliquit, vt non modo Poloni à Lecho, ſed etiam Sarmatæ à deuictis Scythis dicerentur. Eſt enim etiamnum Lechnik, non procul à Colonia, locus à Lecho dictus, & Craçouia

à Gra-

à Gracho ædificata. Quæ omnia arguunt Slauonici, & Polonici nominis in illis etiam oris claritatẽ, cum adeo ad Balthici maris ripã, Brama vrbs Germaniæ, Polonis portam, Lubek, Corbulum, Rostok diuisionem significet aquarũ. Tencin. Placet mihi quidem valde. quod Sarmatarum postremo facta etiam abs te sit mentio. Nam credibilius fuerit, Slauos à Sarmatis, quàm Sarmatas à Slauis deriuari: cum plures gentes ex Aquilone in Austrum profecti sint, quàm vt ex amœna regione, sub horrendam plagam commigrare debuissent. Vnde etiam ex Nouogardia Moschouiæ vrbe, de qua Crantius: Quis potest contra Deum & magnam Nouogardiam? ortos quidam & progenitos nos au tumant. Et quidem præter Berosum, qui ipse antiquissimus, Mo-

ſchos antiquiſſimos in alijs memorat, afferunt eius rei cauſas plures, nec ſcio ſi non & probabiliores. Tarnou. Quas obſecro? Tencin. Prima, quod Conſules Nouogardienſes ſuam antiquitus emittebant iuuentutem, quæſitum nouas colonias, in qua ipſa Lechum, & Czecum fuiſſe nonnulli arbitrantur; & inde quoque ortum eſt, quod Dlugoſchus refert, vt multæ gentes & nationes, quarum nomina idem ille enumerat, dona Nouogardiam antiquitus mittere ſolitæ fuerint, grati animi ſui teſtificandi ergo, in illos primæuos ortus ſui auctores. Altera item cauſa habetur, quod inter dialectus Slauonicos nulla, quàm Nouogardienſis proximior eſt Polonicæ. & Nouogardienſis nobilitas Ziemecz, quod Polonicè Ziemianin, non Boiarouię, vt alij nobilium Moſchouiæ
filij,

filij, appellantur. Tertia causa est. Quia Nouogardiensium ciuium, nobiliumq. facierum effigies magis sunt similes Masouiticæ nobilitati; quæ in meditullio Regni habitans, pauciores peregrinos in se admisit, & quasi quoddam totius Regni nobilitatis est seminarium. Quippe perseminatę nobilium Masouiorum in immensum familiæ, testes eorum sunt antiquitatis, nescio si non pariter & ingenuitatis. Catholici enim omnes sunt, & vt aliqua vitia habeant, totam ferè Poloniam, & maximè Russiam, sub cuius signo aliquando ab Astronomis, eorum nobilibus, militaribusque viris impleuerunt. De quibus ego, qui longè ab ijs habito, nihil dicerem, si mihi ipsi vsui, Hispanias peragranti, Catholici nominis non profuisset eorum commendatio. Cum enim in monaste-

rium quoddam diuertere tardè iã debuissem, quis essem, quæsitus, Polonum me esse respondebam, sed cum, quis, & vnde essem, agnosceret me nemo, Druzbicius meus puer Masouius, cum nomen suum, & prouinciæ, ex qua exierat, confiteretur, agnitus est subitò, quod nimirum ex ea esset, prouincia in qua inter tot, toto Poloniæ Regno, hæreticus nemo inueniretur, Monachi ipsi testarentur. Quò fiebat, vt & ego exciperer hospitio, & qui mihi debebatur hero, delatus honos fuerit meo puero, propter Catholicæ Religionis in Masouia firmitatem. Magna autem multarum rerum, sed vna illa, in Catholica Religione, maxima commendatio est firmitatis. Sed ad Sarmatarum nomen reuertamur. Quorum, quæ passim & vbique fama, ne dicam admiratio fuerit, ex

tot tantiſque rebus eorum geſtis facilè colligitur. Paucis enim ante annis, Galliarum Reges, Polonicis hoc nomen Sarmatarum dabant, & eorum legati apud exteros ſe Sarmatas olim nuncupabāt. Ac vt de nomine non diſputem, quod à Sarmate, quem Moſes & Ioſephus Aſarmoten vocant, deriuari aiunt, quaſi vero Strabonis teſtimonium leue ſit & ineptum, qui Sarmatas tantùm Scythis præſtare, quantùm bellica gloria Scythis dixit anteire. Quid? An Plinius, Scythiæ nomine Sarmatiam ideo non inuoluit, quod cūcta Scythia potiti Sarmatæ olim fuerāt, & Scythicū in Scythas quoddam exercuerant? Ferunt namque trans Tanaim multos peruaſiſſe, & Aſia domita, eam, quæ ab occaſu, Europæam, vſque ad fontem Tanais, ab Aquilone Colchos vellere inſi-
gnes

gnes respicit aureo, Sarmatiā fundauisse. Sicut & Gallos, in fertilissimam Asiæ regionē profectos, Galliā cōdidisse pariter memorāt. Sunt enim multa multis similia, dissimilius nihil hominum facie, & ingenij firmitate. Iam & Pomponius Mela, Sarmaticam gentē semper fuisse liberam, & indomitam facit testatum. Vt mirum non sit, Polonos etiamnum honoris, & libertatis esse, fuisseque semper appetentes, citra vllam vel minimā iacturam publicæ dignitatis. Suis enim fata respondent seminibus; & posteri, si non sunt, saltem similes esse cupiunt suis maioribus. Quamquam Sarmatæ penuria ferri tamdiu laborauerant, vt loricam Sarmaticam ex vngulæ equinæ cornu, instar squammæ Draconis, compactam vidisse se, Pausanias in Atticis fateatur, quæ lori-

cę Gręcæ longè præſtabat. Quid quod & Imperatores ipſi Romani Sarmatis detrahere nihil vnquam poterant, & Valentinianus Cæſar, conſpectis duodecim Sarmatarum legatis, num tales Sarmatæ omnes eſſent ſciſcitatus, tales & meliores ſe eſſe, legatis reſpondentibus; atrocia imperium Romanum pati exclamauerit, & quibuſdam etiam auctoribus, apoplexia tactus expirauerit impotenter? Sicuti enim nec opinati, ex repentino gaudio, ſic ex iracundia, obitus exempla mortalium plurima memorantur. Neque vero illud obſtat, quod Auguſtus dixit Imperator, non libere ſibi aureo hamo piſcari, & gentes nihili Sarmatas multarum legionum periculo debellare: hoc enim ſolandi ſui cauſà, non contēnendorum Sarmatarū dixerat gratia. Quod, literis ad Lentulum lega-

gatum suum paulò post datis, planum facit, quem, ne Sarmatas temerè lacessat, adhortatur, qui viribus abundarent, & pacem non intelligerent. Quod hodie etiam Ottomannos, colenda cum Polonis veteri amicitia, constat fecisse, & multis multorum Polonorum prouocatos iniurijs, bellum illi regno apertum non vtique intulisse. Vt enim in prouincijs, arces & munitiones bonæ, magno sunt præsidio, ita latè patentia regna, in quibus tutò pedē nō figas, pectoribus ciuium magis sibi sunt firmamento. Age, Traianus Imperator, Dacis & Iagizibus victis, & supra Danubium admirabili ponte extructo, an Sarmatas in fidem non recepit, & Romanis legionibus parcere dubitauit? Quid de Iustiniano loquar? qui cum gentes debellasset plurimas, arces & munitiones

nes tandem exſtruxit, quibus tantum Sarmatas à longe tenuiſſet? Quippe qui orbem terrarum nominis ſui terrore impleuerant, & Atilam Hunnorum Regem in campis Cathalonicis cum Francis profligauerant gloriosè. Fertur enim, Sarmatas, & Francos arma olim iunxiſſe, & nominis ſui gloriam longè latèq. propagaſſe. Quæ cum ita ſint, in publicis etiam clypeorum Sarmaticorum inſignibus, binos equites, ſtricto gladio, pinxerunt, vt ratione Lituaniæ, in Regni Polonici inſignibus idem licet nunc, & antea conſpexiſſe. Equitatu namque illæ gentes pollent, & artes nobilitate dignas, ante omnes alias, cenſent potiſſimum militares. Quæ tanti antiquitùs etiam apud eos fiebant, vt non modo viros, ſed & fœminas arma tractaſſe, & indignas connubio, quæ

viros

viros non occidiſſent tres, habitas fuiſſe memoretur. Nam & hinc quidem, vt opinio fert, euenit, vt ex Sarmatarum, & Amazonum matrimonio, bello bona proles ſuccreuerit, & Amazones, viris poſthabitis, ex Scythia profectæ, Aſiã inuaſerint. In cuius victoriæ monimentum, templũ Dianæ Epheſi eſt ab ijs conditum, & Sarmatæ irrito conatu paulo poſt oppugnati, quos, cum amore vincire, quàm armis vincere poſſe ſe potius vidiſsẽt bellorũ manubijs, atq. ſpolijs in vnum collatis, & ſermone vtrinque communicato, præſtãtiſſimæ quæque Amazones, æquabiles maritos è Sarmatis elegerunt, & linguam, quam Scythę terſiorẽ proculdubio etiam habuerunt. Quam nec Ouidium quidem puduit ſciuiſſe, & de ſeipſo ſic fari haud ita dubitaſſe:

Hoc vos Sauromatæ iam vos no
uere Getæq.
Nam didici Geticè, Sarmaticeq.
loqui.

Sed quoniam, vt initio dixi, gerendis, quàm ſcribendis rebus, Sarmatę olim potius inuigilauerunt, Martiq. quàm Veneri ſtuduerunt, propterea nõ mirum, ſi nec Ruſſorum, quorum nomen & imperium latiſſimè patet, & hæc de qua loquimur Nouagardia ſita in ijs eſt, meminerunt; aut partim inuidia, partim vero, quodam deſpicatu, partim etiam negligentia prorſus omiſerunt. Rarum, quid dico rarum? immo etiam factu quodãmodo incredibile, in aliqua re poſſe vnum excellere, in omnibus autem & ſingulis velle, non modo Græcum, ſed etiam odioſum. Etenim cedimus nõ eſt inuiti tandẽ alicui ſolo, numquam ingenio. Iam vero nemo

mo dubitabit, Rufsiæ appellatione, quæ a Lecho, & Czecho, fratribus germanis, Ruſſo tertio, nomen habet quidquid fuerit terrarũ inter Venedicum ſinum, Liuoniam, Suetiam, Finlandiam, glacialemq. Oceanum, Rha, ſiue Volſam flumẽ, & paludem Meotidem, mare denique Ponticum, atque inter Sarmaticos montes, Polonia poſtremò & Lituania omnia contineri. Quanquam antiquius quàm celebrius nomen harum gentium regionumq. habetur. Tarnou. Quid vero de Slauis dixeris? Tencin. Fateor & hos ad ſummam amplitudinem olim veniſſe: ſed, vt verum, quod ſentio, dicam, iam videntur eſſe deſpicatui, cum non Slauos, ſed Sclauos, tanquam mancipia quædam, audiam loquentem non neminem. Nec vero tàm à Slaua quàm à Slouo, ſiue a Saua fluuio &

Slauanos dictos quidã etiã opinantur, quasi verbosos, & lingua quã manu promptiores. Tarnou. Vide ne subscribas huic sententię. Quãquam non nego profluentiam nostris esse verborum, & plus loquentię quàm eloquentiæ, vitio quodã immoderatioris libertatis; sed non omnibus id ascribatur vitiũ, nisi forte ijs, qui, quod morbo laborãt comitiali, & in Comitijs veluti in theatro quodam se ostentant, & nundinationes exercent, & litium controuersijs, verborum aucupia, & literarum inserunt tendiculas, & nunc pro hoc, nunc pro illo diuersas & aduersas sibi ferunt sententias, citra omnem rationem iuris & æquitatis. Cui malo Turcicus Cæsar Solymannus occurrere volens, quoties grauis aliqua & ardua inciderat deliberatio, simul Purpuratorum suorum nunquam,

sed

ſed ſeorſim cuiuſque ſenſa animi explorabat, rerum, temporum, & perſonarum momentis, ſiue circũſtãtijs nihil prorſus definitis. Quo fiebat, vt, cum poſtea conueniebant, dicebantq. ſententiam, eorum, quæ Principi ante dixerant, conſcientia, non poterant non idem illud poſtremò apud eũ confiteri. Magna enim vis veritatis, & vel tanta, quæ eam audit, auctoritas eſt maieſtatis. Cui ego aliquid apud nos etiã ſimile, & vt illi, qui ſententiam dicere vellent, dicta repetere non iuberentur, atque adeo vt ipſorum etiã, qui loquuntur, numerus minueretur, vellem introduci. Taciturnitatis enim plurium, conſcientia cuſtos eſt mala, & otioſis orationibus, veritatis & temporis fit iactura. Tencin. Quid vero, & vnde Poloniam appellatam dixeris? Tarnou. Et de hoc quo-

que variant variorum ſententiæ. Nam multi à Pole, quod planitiem aut venationem ſignificat, Poloniam dictam autumant: Alij à Polizna, Slauoniæ oppido, ex quo Polonos ortos quidam teſtificantur. Quæ quidem omnium etiam ſatis probabilis eſt opinio, cum & arma Lituanici Ducatus idem illud oppidum ſortiatur: Et denique alij à caſtro Polan, quod in finibus Pomeranorum eſt ſitum, vocatam Poloniam arbitrantur. Tencin. Quam autem tu harum opinionem potiſſimùm approbares? Tarnou. Nullam, quod ſciam, aut ſatis in vulgus probabiliter, aut etiam erutam ex antiquitate ſtudiosè. Nam illa opinio prima, vt Poloni, planitiei cauſa, aut etiam venationum gratia appellentur, non mihi videtur probabilis, cum multis in locis montoſa ſit Polonia; & primaria
eius

eius vrbs, Cracouia, inter montes sita, atq. ipsa Gnesna ea antiquior magis est. Polachiam etiam ineptè diceres Poloniam, cum potius dicenda esset Podlachia. Sed quorsum pars pro toto, & prouincia pro Regno? Policznam vero matrem esse Polonorum nunquam audiui, sed potius Nouogardiam, vt ostendi, aut Pannoniam, quæ fons & origo esse scribitur omnium Slauonicarum nationum, maximèq. Polonorum. Nam Pannones quasi Pannouię dicti, Attila eos inuadēte, sola plebe relicta, in syluas Polonicas diffugerunt, ex quibus postea tres fratres nationum Duces, maior natu Lech, minor Rus, minimus Czech extiterunt. Tencin. Quid ergo est? Nulla ne erit Poloniæ denominatio? Tarnou. Est certè; sed vereor ne prima, quod aiūt, fronte, & aspectu contemnatur.
 Fe-

Ferunt Carolum Magnum Cæsarē à Polo Aquilonari, quem Borealem vocant, appellasse Poloniam, hoc modo, cum Hispaniam Saracenorum, Italiam Longobardorum seruitute liberasset; in Germaniā reuersus, multorum habuit sibi cō-gratulantes legatos, & inter hos etiam Polonos, quos cū mensæ suæ adhibuisset, vltro citroq. collatis pluribus sermonibus, Poloniā à Polo stellis fulgentibus appellauit, cum, vt Eginhardus eius Cancellarius memoriæ prodidit, studijs Mathematicis delectaretur, & ab Hespero Hispaniam, & Thauricam Chersonesum à Tauro cœlesti signo, cui subiacet, dictam quoque meminisset. Sed ego has similesq. opiniones non tantoperè curo, quàm illud à Deo Opt. Max. supplex contendo, vt non tàm de nomine & origine gentis inquirendum,

 dum,

dum, quàm iustitiam, robur animi corporisq; nostri putemus retinendum. Perfecerunt maiores nostri, vt irruentibus olim Hungaris Carpatum montem, Russis Boristenē, Prussis & Liuonibus Balthicum mare, Oderam Germanis pro confinio ponerent, & amplum ac celebre efficerent Regnum, si modo Regnum & non Imperium, tot tantisque prouincijs auctum potius est dicendum. Quod sub duabus, Piasti, & Lagellonum, præcipuis familijs maximè creuit, &, pro re ac tempore, varias & multiplices leges, & libertatem reportauit. Tencin. Faxit Deus Opt. Max. Hæc certè vera est libertas, in qua æquabili iure inter se omnes continentur, legibus seruiunt domi, vt dominentur foris; imperant sibi, vt pręsint alijs: nobiles non solum dici, sed esse, & diligi potius, quàm me-

metui volunt: denique ita viuunt, vt vixisse eos non pœniteat, neq. natos frustra appareat, neque mortis recordatio terreat: ita moriuntur, vt perpetuo viuant, & in morte non reprehensionem culpæ, sed laudem & gloriam relinquant: nec cum spiritu commemorationem nominis sui dimittere, sed cum omni ætate adæquare videantur. Hęc habui, quæ dicerem, sed iam tempus instat, in Senatum vt nos conferamus.

FINIS.

Amplissimo viro,

HIERONYMO PARIS PALATINO MASOVIAE.



Christophorus Varseuicius. S. P.

CVM de origine generis, & nominis Poloni, Dialogũ Romæ imprimendum curassem, nescio quo modo Masouiorum à me facta est mentio, quorum,

cum, magno merito tuo, Palatinus sis, non potui pro nostra necessitudine, mittendis exemplis in Poloniam pluribus, non maximoperè tibi etiam hoc nomine gratulari, præsertim, cum addiderim in calce, quædam, quibus Regum, Sanctorum, bellatorum, scriptorumq; Polonorum memoria, & catalogus continetur; qui profecto vni debebat inscribi tibi. Nam & ipse, maioresq; tui omnes omni in memoria Senatores laudatissimi, Catholici semper fuerunt; & tu denuo ijs preces, qui auitæ Catho

licæ

licę religionis assertores maximi sunt, & toto regno vnam illam prouinciam Masouiam, hoc errore seculi, & hæresi immunem conseruarunt. Quæ ipsa laus, toto terrarum orbe, laudum est maxima atque clarissima. Quam non modo Tarnouio, sed ipsi etiam Cardinali Radiuilo, ante annum hic mortuo, Hispanias peragranti, vsui fuisse acccepimus. Cum eidē, quo & Tarnouio ipsi euenisset, qui nō nisi ob Masouiū quendam ex suis, admissus in hospitium fuisset, alijs prouincijs Poloniæ laborantibus infa-

mia hæreticæ prauitatis. Vtinam quidem illa auita gloria & consuetudo, ad omnem posteritatem in Masouia nostra perpetuetur. Hoc ego, qui in eadem illa, & quidẽ patris tui germana sorore natus sum, prouincia, futurum, certo mihi polliceor. Habet Masouia, vltra quadraginta millia nobilium familiarum, omnium Catholicarũ; quæ cum in immensum proseminatæ sint, quid obstat, quò minus extra patriam, vlterius etiam adhuc eadem semina proferantur. Nihil habẽt Masouio-

rum

rum militaria ingenia aptius, quàm vt possint; nihil autẽ Catholicæ religionis studium conuenientius, quàm vt velint pro Christi fide, & Petri sede, in barbaros arma ferre, & extremum spiritum profundere. Quod si hæc nostra paradoxa, & in ijs inuentiones quædam aut duriores aut obtentu incredibiles alicui videantur, sit liberũ omnibus, omnium non modo ordinũ, sed hominum cuiusuis nominis & conditionis cœtui, quod hac in parte voluerit, agere & fari. Sola illa Dei Opt. Max. vrgeat belli

Turcici negotium charitas
Pont. Max. qua pietate est,
concedet indulgentias sacram
militiam ineuntibus, & concionatores,
ac confessarij pectora mortalium in barbaros
inflammet, Principes piorum
conatus iuuent, & domo egredi, non inuiti pro se quemq; patiantur, immò vero & premijs
afficiant, & oneribus leuent
vel nonnunquam: ipsa vero
multitudo, Duces sibi eligat,
militem alat, &, tanquam cautores periculi, in locis magis
opportunis & periculo expositis Duces & milites ver-

sen-

sentur. Gloriosum & vtile hoc omnibus, & nostris Polonis non importunum nec ingratum fore spero, opto quidem certè. Magnas & memorabiles in omni memoria res Poloni gesserunt; Turcas, Scythas, Moschos, totq; alias gentes, & nationes sæpe fuderunt; nomen, imperiumq; suum propagarunt: vna illa in Turcas seria quã sera magis expeditio in ijs desideratur; qua præ omnibus victorijs, gloriosissimus triumphus pararetur. Quod vt sub hoc tã pio & laudabili Pontifice, & Polonis fauente

uẽte videre ſit, faxit ipſe Deus Opt. Max. Nihil volentibus difficile, & Polonorum virtuti ac potentiæ inſuperabile iudicatur. Mors, quæ debetur naturæ, ſi reddita fuerit patriȩ, abſentes erimus præſentes, viui mortui, & in cœlo decernentur nobis triumphi, ad omnem perpetuitatẽ. Bene vale. Palatinum Lenciciẽſem, quocum arctiſsimo ſanguinis, vt mecum, coniunctus vinculo es, decus & ornamentum patriæ, & omnes Senatores Maſſouiæ ex me ſaluere iube. Vt quidem à præ-

cipuo

cipuo Alberto Ratzimiſcio Caſtellano Cirnenſi germanæ ſororis meæ filio ordiar, omnes fere Senatores, & nobilitas Maſouiæ mihi eſt ſangnine iuncta & ſatis fuit beneuola, & ego viciſsim omni loco & tempore illorum ſum eroq; perpetuo ſtudioſus. Iterum vale. Romæ. xv. Maij. Anno M D C I.



CHRISTOPHORI VARSEVICII C. C.


Reges. Sancti. Bellatores. Scriptores. } Poloni.



SVPERIORVM PERMISSV.



ROMAE,
Apud Typographos Camerales.
M D C I.



REGES.



IECISLAVS, Monarcha Poloniȩ primus, Christianus factus 965. Cȩcus natus, septimo die post baptismū visum recepit, & Poloniam luce Euāgelica illustrādā prȩnūciauit. Ostrorogij, Czarnkouij, Gostomscij, & alij de Nalætiorū armis cū eo fuerūt baptizati. Vxor Dābrovca, Boleslai Bohemorum Ducis filia, Nouem Cathedrales Ecclesias erexit.

Boleslaus Chrobry, eius filius, Poloniæ Rex Primus 999. Ab Othone III. Diadema Regium accepit. Mortuus 1025. sepultus Posnaniæ. Vxor Hodica, Bilungi reguli Vandalorum filia. Quadragies diuersis prȩlijs victor decertauit.

Miecislaus, regnauit annis no-

uem, vixit 44. mortuus Anno 1034. Posnaniæ sepultus. Vxor Rixa, Neronis Comitis Palatini Rheni filia.

Casimirus primus. Moritur 1058. Vxor Marialarosta Principis Russorum soror.

Boleslaus audax, interfector S. Stanislai, regnauit ann. 22. Eum in monasterio quodam Carinthiæ, apud Oppidum Feldkirchen obijsse, & sepultum esse compertum est, Vxor Visseslaua, Russorum Principis filia.

VVladislaus non coronatus, Hermannus alijs dictus. Regem se appellari passus non est. Vxor Vratislai Bohemiæ Principis filia. Secunda vxor Zophia vidua, Henrici IIII. Imperatoris soror. Moritur anno 1102. cum regnasset annos 20. vixisset 59.

Boleslaus Criuoustus, post patrem, annis vixit 53. moritur 1139. Vxor Sistaua, Suentopolci, siue Stopolci, Michaelis Cirnensis Principis filia, Cromerus, & aliam vxorem nominat Atleidam.

Vladislaus, vixit annos 55. Præfuit Polonis non totos annos 7. Vxor Christiana Henrici Imperatoris filia, quam duxit anno 1121. quibus nuptijs interfuit Boriuoius Dux Bohemię, sed exul.

Boleslaus III. Crispus sic cognominatus à capillorum specie. Prima vxor VVsinoldi Miri Haliciensis Ducis filia, germana soror vxoris, quam pater duxerat. Mortuus cum imperasset Polonis 27. vixisset 26. anno Christi 1173. Fuit ei & alia vxor Helena Roceslai primi Ducis filia.

Miecislaus senex. Moritur 1202. ætatis 73. Vxores duæ: Gertrudis Geisæ Hũgarorũ Regis soror, Altheida Imperatoris Friderici soror.

Casimirus iustus, vixit 56.

Lesco Albus, interfectus à Suentepelco 1227. regnauit à morte Patris 33. Vxor Grimstaua, Iaroslai, Russorum Ducis filia. quam duxit 1220. ætatis suæ 28.

Boleslaus pudicus, ideo ita dictus, quod sponsam non attigerit, vouẽtibus vtrisque castitatem. Vixit à patre 52. Mortuus 1279.

Lesco niger. Moritur sine liberis anno 1289. Vxor Gruffina, Rocislai, Bulgarorũ siue Russorũ, vt vult Dlugossus, Ducis filia. Matertera Venceslai Regis Bohemiæ.

Hẽric⁹ prob⁹ Rex Pol. An. 1295.

Venceslaus. Rex Poloniæ, & Bohemiæ. Pragæ mortu⁹ an. 1305.

Vladislaus Loctek. Moritur 1333. Vxor Heduigis Boleslai

Calissiensis Ducis filia.

Casimirus II. dictus Magnus, ꝗ Vrbes muro, Ciues legibus, Posteros affinitatibus reddidisset meliores. Vxores duas, prima Anna Gedimini Lituanorũ Ducis filia. Altera Aldeida Henrici Landgrauij. Hessię filia moritur 1355.

Ludouicus, ex stirpe Regũ Gallorum. Rex Poloniæ, & Hungariæ. Moritur 1389. Vxor Margareta Caroli filia. Vxor altera Stephani Batri Bossinensis Regis filia.

Iagello Lituanus, Baptizatus Cracouiæ 1386. Vladislai nomen in baptismo accepit. Vxor Heduigis, Ludouici, proximi ante eũ Regis filia. Vxor secunda, Rutena Zophia, Ioannis, Ducis Kiouiensis filia. Tertia Granouska Rolona, Pilecio cuidam antea nupserat. Mortuus 1434. Lituaniam regno adiecit, Crucigeros ad Gruneualdum memorabili

prælio vicit, Academiam Cracouienſem erexit, Turcis in Croacia abſens perlegatos leges tulit, exteros principes in fidem, & cliẽtelam ſe illicõmendantes habuit, à Conſtãcieñ Cõcilio facta ſua approbari vidit, Sepuſium Poloniç adiunxit.

Vladiſlaus Lagello, eius nominis II. Hungariç, & Poloniæ Rex, Apud Polonos duos, apud Hungaros quinque ann. regnauit. Cecidit pro Chriſti fide in prælio ad Varnam 1444. Martyr cum quinque millibus Polonorum.

Caſimirus Iagello, eius nominis III. vixit 64. ann. Vxor Elizabetta, Alberti Cæſaris, Ladiſlai poſthumi ſoror. Moritur 1496. Pruſſiam ſibi vectigalem fecit.

Ioannes Albertus. Mortuus 1501. ad Buſcouinam ſyluam à

Vala-

Valachis cladem passus. Rex bellicosus, sed infęlix, & voluptuarius.

Alexander Casimiri, ætatis suę 46. Vxor Helena Ioannis Magni, Moschorum Ducis filia. Moritur 1505. profusis largitionibus memorandus.

Sigismundus Casimiri. Rex electus 1506. Coronatus anno sequenti. Mortuus ætatis 82. Anno Christi 1548. Vxores habuit duas: Barbaram Sepusiã 1512. ex qua Heduigis, quæ Ioachimo Brãdeburgensi nupsit: postea anno 1517. Bonam Sfortiam, ex qua Sigismundus Augustus Rex, & Iacobus puer mortuus. Filiæ Isabella, Anna Sophia, Catarina, prima Hungariæ, Poloniæ, & Suetiæ, & quarta Zophia Henrici Ducis Braunsuicẽsis vxores. Hic multarum gẽtiũ victor, ciuilitatis polonicę, & ingeniorũ excolẽdorũ author, religionę insignis, pacis belliq; arti-

bus clarus; quem Maximilianus I. Cæſar, in Poſſonienſi cõuentu, inſtar germani fratris, chariſsimum ann. 1514. & Carolus V. in Auguſtano, ann. 1548. patrẽ Regũ, & virũ Dei publicè appellauit.

Sigiſmundus Auguſtus natus 1520. Mortuus 1572. Vxores tres habuit. Elizabetam, Ferdinandi, Romanorum Regis filiam, cuius nuptias celebrauit 1543. die 6. Maij, quæ mortua 1545. 15. Iunij ætat. 18. Vxor altera Barbara Radiuila, quam duxit anno 1551. ætatis ſuæ 28. quæ 8. Maij proximi anni mortua eſt. Tertia vxor Caterina Germana, Elizabettæ ſoror, quam Franciſcus Dux Mantuæ reliquerat viduam, cuius celebrauit nuptias Cracouiæ 1553. 31. Iulij. in Auſtriã remiſit, 1566. quæ poſtea ante eũ mortua 1572. hic Rex Polotiam ad Moſcum vi amiſit an. 1562.

Liuoniá pactione regno adiunxit 1559. sterilis obijt 7. Iulij 1572.

Henricus Rex Valesius, natione Gallus, mensibus quinque circiter in Polonia mansit, non tàm inuitis quàm inscijs ordinibus ex Polonia elapsus.

Stephanus Primus Bathori, Hungarus, iustus, fortis, & bellicosus, Anna Iagellonia vxor sine prole decessit, xj.ann.regn.mor.1586.

Sigismundus 3. Rex Poloniæ, & Suetiæ. In Polonia, an. 1588. In Suetia an.1594.inauguratus. Anna Maria Austria Vxor.tres filiæ mortuæ, Vladislaus superstes filius.

SANCTI.

Quinque fratres Poloni martyres & Eremita occisi sub Boleslao Rege ann. 1015.

S. Stanislaus Episcopus Cracouiensis Martyr, anno 1079. 8.

Maij ab Innocentio IV. Canonizatus.

B. Ivvo S.Hyacinthi patruus. Episcopus Cracouiensis, vixit ann. 1200. Eodem tempore S. Iacinctus nunc primum à Clemente VIII. Pont. Opt. Max. Canonizatus xv. Calen. Maij ann. 1594 Eodem tempore B. Ceslaus socius S. Iacincti Ord. S. Dñici.

S. Eduigis Trebnicensis Monasterij fundatrix. 1218.

B. Salonica 1225.

B. Nicolaus Henricouius in monasterio, quod extruxerat sanctè moritur. 1225.

B. Petrus Danus erutis oculis diuinitus illuminatur. 1236. mortuus apud S. Vincentium. Vratislauiæ sepelitur.

Vernerius Episcopus Plocensis Martyr.

B. Salomea, filia Lesci Albi, Regis Poloniæ, Ordinis S. Franci

sci, Regina Halıciensis.
S. Paraſcha, ſeu Praxeda, Georgij Ducis Plociæ filia, Ordinis Sancti Baſilij, obijt Romæ 1239.
B. Altheida virgo Caſimiri ij. Regis filia, Ord. Ciſtercien. Trebniciæ ſepulta. anno 1211.
B. Aaron Ord. S. Benedicti, Archiepiſcopus Cracouienſis.
B. Gaudentius Archiepiſcopus Gneſnenſis Confeſſor.
B. Iuſtinus confeſſor Ord. S. Frãciſci, Cobilini ſepultus 1428.
B. Victorinus Ord. S.Frãciſci Tarnouiæ ann. 1465.
B. Groth, Epiſcopus Cracouienſis 1470.
B. Raphael Vartæ ſepultus Ordinis Minorum 1471.
B. Ioannes Cantus Gymnaſiarcha Cracouienſis 1471. multis miraculis in vita & morte illuſtris 16. Mortuos reſuſcitauit.
Beatus Ioannes de Ducla Franci

ſcanus miraculis clarus, ſepultus Leopoli, anno 1473.

Beatus Ioãnes cognométo Slomka Ordinis Sancti Franciſci Louicij ſepultus 1483.

Caſimirus Princeps Poloniæ Sanctus, vixit 1488. Canonizatus à Leone X. P. M. Grodnæ mortuus & eius anima ex arce viſa in Cœlũ ab Angelis deportari.

Beatus Ioannes Czapla martyr, Cracouię ſepultus 1496.

B. Staniſlaus Koſtka, ex Illuſtri Coſtkarum genere, Cõfeſſ. Societatis Ieſu, anno 1567.

B. Staniſlaus Hoſius Cardinalis Varmien. Cracouiæ natus Romæ mortuus, & ſepultus ann. 1579.

B. Naukerius Epiſcopus Vratiſlauienſis, Ordinis Prędicatorũ.

B. Vitus Epiſcopus Lubaſanus Ord. Prædicatorum.

SS. Glebus & Boriſſus fratres &

martyres, filij Ducis Kyouiæ.

B. Boguſlaus.

BB. Diſtaus & Staſlaus Cruciferi, Milites & Martyres in Pruſſia.

B. Simon Ordinis Minorum. Cracouiæ ſepultus.

BB. Staniſlaus Ord. Carmelitarũ, & Michael Ord. S. Mariæ de Metro.

B. Martinus Bariſſa martyr,

B. VVladiſlaus Michael Blaſius, Ord. S. Franciſci.

B. Gaſtoldus Epiſcopus Vilnenſis cum 36. fratribus Ord. S. Franciſci in Lithania Vilnæ martyrio coronatus.

B. Nicolaus Tuliſchek concionator Gneſneñ. Gneſnæ ſepultus miraculis clarus.

Deo dicatæ Virgines Ciſtercienſes martyres deuaſtato ab infidelibus Monaſterio trucidatæ. Vitauiæ.

Abbas Ciſterciẽſis cum pluribus

fratribus in Monasterio Oliuē si in Prussia palmam martyrij adeptus est.

3000. SS. Martyrum, qui in die Dominica, Diuinis officijs occupati, à Barbaris in Ciuitate Dobrzin sunt interfecti.

B. Henricus Princeps Polonus S. Eduigis filius, in arce Ciernensi sepultus. Alij volunt maritus.

B. Petrus Kempa Palatinus cum fratre suo Sbigneo & alijs 58. ac cætera vtriusq; sexus propè immemorabili multitudine occubuit pro Christo Sendomiriæ 1487.

B. Lubranscius Episcopus Posnaniēsis, miraculis in vita clarus. Saccos pecuniarum, quos pauperibus largiebatur, plenos sēper inuenit 1519.

Beatus Ioannes Tarlus illustri generis Eques, post adita loca sa-

cra in Patriam reuerſus moritur Opathouiæ ſepultus 1470.

B. Iſydorus Cardinalis & Martyr, Archiepiſcopus Kiouienſis, Kiouiæ ſepultus ann. 1440.

B. Thomas Zelenſcius, nobilis Polonus ann. 1595.

BELLATORES.



Secchus belli Dux. 1094.

Coſcelecius belli Dux. 1204.

Oſtrorogius belli Dux. 1236.

Glouacius Maſouiæ Palatinus cōtra Temurlanum Dux.

Ioānes Czarnkouius, belli Dux, contra Sigiſmundi Cæſaris copias, & legatos, ſub Iagellone 1430.

Alexāder Vitodus Lituaniæ Dux, bellator egregius. 1436.

Zindram' de Maleſchouicze Dux belli ad Dubruuum in prælio

an-

anno 1410.
Vladislaus Iagello, Rex triumphator, & Lituanorum Apostolus.
Zauisus niger Polonus, in Húgaria belli Dux sub Sigismundo Cæsare. 1380.
Derslaus Rituanius ad Choiniciã 1472.
Odrouazus belli Dux. 1444.
Ioannes Gratus Tarnouius belli Dux. 1444.
Cola de Daleiouo 1491.
Constantinus Ostrogius belli Dux 1499.
Lanczkorunscius 1515. bellator.
N. Camenecius Palatinus Cracouiensis 1504.
Nicolaus Ferleius Castellan⁹ Cracouiensis belli Dux supremus 1520. Prussiam domuit.
Ioã:Radzimõsci⁹ Castellanus Varsauiẽsis belli Dux Ducũ Masouiæ ad Socauam in ꝑlio 1494.
Hieronymus Lascus Polonus, ma-

gni

gni nominis bellator 1542.

Paulus Secigmiouius Polonus in Hungaria belli Dux, ſub Vladiſlao rege 1517.

Andręas Tencinius belli Dux. Ad Seretum.

Ioannes Comes Tarnonius Caſtellanus Cracouień. Polonię, & Luſitaniæ regum belli Dux clariſſimus 1561.

N.Mieleti⁹ Palatinus Podoliæ Polonici exercitus præfectus 1557.

Ioānes Chodkeuinus Dux. 1565.

Martinus Zborouius Dux belli deſignatus 1564.

Nicolaus Siennauius belli Dux 1569. eius fratres, & filij aliquot bello clari.

Nicolaus Zebridoũi⁹ Caſtellanus Lublinenſis, belli Dux in Lituania Polonorum 1565.

Nicolaus Czikouius belli Dux in Lituania Polonorum. 1566.

Staniſlaus Lesnouolſci⁹ belli Dux

in Lituania Polonorũ 1568.
Michael Visneuecius bella tor.
Ioannes Zamoscius Castellanus Chelmeñ. Polonici exercitus in Lituania Dux ad Radoskouitiũ.
Ioães Zborouiᵘ belli Dux 1578
Nicolaus Radiuilus Palatinus, Vilnensis, belli Dux Lituanorum summus 1582.
Nicolaus Mieletius Palatinus Podoliæ 1578. exercitus Polonici Dux ad Polotiam.
Nicolaus Radiuilus eius filius belli Dux viuit.
Ioannes Zamoscius Poloniæ Cancellarius, & exercituum generalis præfectus viuit.
Nicolaus Zolkeuius belli Dux viuit.
Ernestus Veierus in Suetia belli Dux 1594.
Mattheus Dembinski Palatinus Vẽdeñ, belli Dux in Liuonia Polonorum, viuit.

SCRIPTORES



Incentius Cadlubko, ex Episc. Cracouiensi monachus factus, Historiā Polonicā scripsit, anno 1223. Iędziouiæ sepelitur.

Basko historiam scripsit 1370. sub Cazimiro magno Rege.

Dlugoschus siue Longinus, Casimiri III. Poloniæ Regis filiorum præceptor, historiam scripsit 1470.

Miechouita C. C. historiam scripsit 1492.

Ioannes Laskus Archiepiscopus Gnesnensis, statutorum Regni scriptor, vixit 1521.

Decius historiam scripsit 1536.

Bernard' Vapoui' 1535. histor.

M. Cromerus historiam scripsit 1550.

Ioannes Nouicampianus 1556. Gymnasiarcha Cracouień.

Sta-

Stanislaus Hosius S. R. E. Cardinalis excellentiss. & sanctissimus 1577.
Stanislaus Rescius Abbas Iendruouień mortuus 1600.
Stanislaus Orichouius 1562.
Andręas Patritius Episcopus Vẽdeń 1586.
Stanislaus Socolouius 1592.
Iacobus Gorscius 1584.
Ioannes Herbestus.
Petr⁹ Scarga, societatis Iesu. viuit.
Stanislaus Varseuicius 1590.
Stanislaus Carncouius Archiepiscopus Gnosnensis viuit.
Ioannes Zamoscius Cancellarius Regni, & belli Dux summus viuit.
Demetrius Solikouius Archiepiscopus Leopoliensis viuit.
Bartholomęus Goslicius Episcopus Posnanień. viuit.
Hieronymus Pouodouscius C. C. viuit.

Pe-

Petrus Lillia S. Theologiæ Doctor.
Pater Andrianus Societatis Iesu, viuit.
Augustinus Rotundus Aduocatus Vilnensis mortuus, anno 1579.
Ioannes Herbertus Castellanus Sanocensis, Statutorum, & Historiarũ scriptor, mortuus 1578.

FINIS.

